DE RATIONIBUS FESTORUM

SACRATISSIMI CORDIS JESU

ET

PURISSIMI CORDIS MARIAE

E

FONTIBUS JURIS CANONICI ERUTIS

LIBRI IV

AUCTORE

NICOLAO NILLES, S. J.,

SACRAE THEOLOGIAE DOCTORE, SS. CANONUM IN C. ET R. UNIVERSITATE PROFESSORE PUBLIC. ORDIN., REGENTE CONVICTUS THEOLOGORUM AD S. NICOLAI OENIPONTE.

EDITIO QUARTA, SAECULARIS,

IN ANNUM A PRIMA REVELATIONE FESTI SS. CORDIS JESU CC. NOVIS ACCESSIONIBUS ADORNATA.

TOM. II. LL. III—IV.

SUPERIORUM PERMISSU.

OENIPONTE.

LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA

1875.

Imprimatur.

Oeniponte die 11. Julii 1875.

† **Vincentius,**

(L. S.) **Eppus. Brixinensis.**

TYPIS WAGNERIANIS.

Digitized by Google

LIBER III.

ASCETICUS.

VARIA PIETATIS EXERCITIA AD RELIGIONEM UTRIUSQUE SS. CORDIS PERTINENTIA

Digitized by Google

Quamquam in cultu SS. Cordium Jesu et Mariae affectum animi sequi praestet, quam formulae cuipiam scriptae scrupulosius adhaerere; tamen ejusmodi formulas ad exemplum et imitationem apponere consultum semper visum est.

(Gallifet: de cultu SS. Cordis Jesu, lib. III. c. 5.)

Digitized by Google

PARS I.

PIETATIS EXERCITIA ERGA SS. COR JESU.

CAPUT I.

PIETATIS EXERCITIA EX LIBRIS LITURGICIS DEPROMPTA.

---

§ I.

Ex Missali.

A. Missa Miserebitur.

Introit. Miserebitur secundum multitudinem miserationum suarum; non enim humiliavit ex Corde suo et abjecit filios hominum: bonus est Dominus sperantibus in eum, animae quaerenti illum. Alleluja, Alleluja. [1])

Psalm. Misericordias Domini in aeternum cantabo: in generationem et generationem. Gloria Patri. Miserebitur.

Oratio. Concede, quaesumus, omnipotens Deus, ut qui in Sanctissimo dilecti Filii tui Corde gloriantes praecipua in nos caritatis ejus beneficia recolimus, eorum pariter et actu delectemur et fructu. Per eundem D. N. J. Ch.

Lectio Isaiae Prophetae. Cap. 12.

Confitebor tibi, Domine, quoniam iratus es mihi: conversus est furor tuus, et consolatus es me. Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, et non timebo, quia fortitudo mea, et laus mea Dominus, et factus est mihi in salutem.

1) In Missis votivis omittuntur duo haec *Alleluja*. Cfr. supra p. 442.

Digitized by Google

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Et dicetis in die illa: Confitemini Domino, et invocate nomen ejus: mementote quoniam excelsum est nomen ejus. Cantate Domino, quoniam magnifice fecit: annuntiate hoc in universa terra. Exulta et lauda, habitatio Sion: quia magnus in medio tui sanctus Israël.

Graduale. O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus.

℣. Quum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Alleluja, Alleluja.

℣. Discite a me, quia mitis sum et humilis Corde, et invenietis requiem animabus vestris. Alleluja.

Post Septuages. Graduale. Improperium exspectavit Cor meum et miseriam: et sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit: et qui consolaretur, et non inveni.

Tractus. Ego autem sum vermis, et non homo: opprobrium hominum et abjectio plebis.

℣. Omnes videntes me deriserunt me: locuti sunt labiis et moverunt caput.

℣. Sicut aqua effusus sum, et dispersa sunt omnia ossa mea: factum est Cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.

Temp. Pasch. Alleluja, Alleluja.

℣. Domine, Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me: eduxisti ab inferno animam meam. Alleluja.

℣. Convertisti planctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, et circumdedisti me laetitia. Alleluja.

Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. Cap. 19.

In illo tempore: Judaei, quoniam parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora Sabbato (erat enim magnus dies ille Sabbati), rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum

Digitized by Google

crura et tollerentur. Venerunt ergo milites, et primi quidem fregerunt crura, et alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem quum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura; sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit: et verum est testimonium ejus.

Offertorium. Benedic anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones ejus, qui replet in bonis desiderium tuum. Alleluja.

Secreta. Tuere nos, Domine, tua Tibi holocausta offerentes; ad quae ut ferventius corda nostra praeparentur, flammis adure tuae divinae caritatis. Qui vivis et regnas.

Praefatio de Cruce.

Communio. Improperium exspectavit Cor meum et miseriam, et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit; et qui consolaretur, et non inveni. Alleluja.

Postcomm. Pacificis pasti deliciis et salutaribus sacramentis Te supplices exoramus, Domine Deus noster, ut qui mitis es et humilis Corde, nos a vitiorum omnium labe purgatos propensius facias a superbis saeculi vanitatibus abhorrere. Qui vivis et regnas.

B. Missa Egredimini.

Introit. Egredimini et videte, filiae Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit eum mater sua in die desponsationis ejus et in die laetitiae Cordis ejus.

Psalm. Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi. Gloria Patri. Egredimini.

Oratio. Fac nos, Domine Jesu, Sanctissimi Cordis tui virtutibus indui et affectibus inflammari, ut et imagini bonitatis tuae conformes, et tuae redemptionis mereamur esse participes. Qui vivis et regnas.

Digitized by Google

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Ephesios.
Cap. 3.

Fratres! Mihi omnium Sanctorum minimo data est gratia haec, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, et illuminare omnes, quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo, qui omnia creavit. Hujus rei gratia flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in coelis et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriae suae, virtute corroborari per Spiritum ejus in interiorem hominem, Christum habitare per fidem in cordibus vestris: in caritate radicati et fundati, ut possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quae sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum: scire etiam supereminentem scientiae caritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei.

Graduale. Dicite filiae Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus.

℣. Non erit tristis neque turbulentus: non clamabit, nec audietur vox ejus foris. Alleluja, Alleluja.

℣. Discite a me, quia mitis sum et humilis Corde: et invenietis requiem animabus vestris. Alleluja.

Post Septuages. Graduale. Improperium exspectavit Cor meum et miseriam: et sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit: et qui consolaretur, et non inveni.

Tractus. Ego autem sum vermis, et non homo: opprobrium hominum et abjectio plebis.

℣. Omnes videntes me deriserunt me: locuti sunt labiis et moverunt caput.

℣. Sicut aqua effusus sum, et dispersa sunt omnia ossa mea: factum est Cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.

Digitized by Google

Temp. Pasch. Alleluja, Alleluja.

℣. Domine, Deus meus, clamavi ad te, et sanasti me: eduxisti ab inferno animam meam. Alleluja.

℣. Convertisti planctum meum in gaudium mihi: conscidisti saccum meum, et circumdedisti me laetitia. Alleluja.

Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. Cap. 15.

In illo tempore: dixit Jesus discipulis suis: Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Manete in dilectione mea. Si praecepta mea servaveritis, manebitis in dilectione mea, sicut et ego Patris mei praecepta servavi, et maneo in ejus dilectione. Haec locutus sum vobis, ut gaudium meum in vobis sit, et gaudium vestrum impleatur. Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis quae ego praecipio vobis. Jam non dicam vos servos: quia servus nescit, quid faciat dominus ejus. Vos autem dixi amicos: quia omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegistis; sed ego elegi vos, et posui vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat: ut quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis.

Offertorium. Domine Deus, in simplicitate cordis mei laetus obtuli universa; et populum tuum vidi cum ingenti gaudio tibi offerre donaria: Deus Israel, custodi hanc voluntatem cordis eorum.

Secreta. Illo nos igne, quaesumus Domine, Spiritus sanctus inflammet, quem Dominus noster Jesus Christus e penetralibus Cordis sui misit in terram, et voluit vehementer accendi. Qui tecum vivit.

Digitized by Google

Praefatio de Nativitate.

(A Septuag. usque ad Pent. Praefatio de Cruce.)

Communio. Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus: in aeternum misericordia ejus. Alleluja.

Postcom. Praebeant nobis, Domine Jesu, divinum tua sancta fervorem, quo dulcissimi Cordis tui suavitate percepta discamus terrena despicere et amare coelestia. Qui vivis et regnas.

C. Missa Gaudeamus, Bisuntina.[1])

Introit. Gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore sacratissimi Cordis Jesu, de cujus solemnitate gaudent Angeli et collaudant Filium Dei.

Psalm. Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini! Gloria Patri. Gaudeamus.[2])

Oratio. Deus, qui sacratissimum Cor Jesu Christi Filii tui Domini Nostri fidelibus tuis summo caritatis affectu amabile reddidisti, concede propitius, sic nos illud venerari et amare in terris, ut per ipsum et cum ipso, et te et ipsum amare, et a te et ab illo aeternum amari mereamur in coelis. Per eundem D. N. J. Ch.

Lectio Isaiae Prophetae. Cap. 55.

Haec est haereditas servorum Domini, et justitia eorum

1) Vid. sup. p. 466.

2) *In Missis votivis.* Introitus. Ego diligentes me diligo; et qui mane vigilaverint ad me, invenient me. — *Psalm.* Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: cantabo et psallam in gloria mea. Gloria Patri. Ego diligentes.

Digitized by Google

apud me, dicit Dominus. Omnes sitientes venite ad aquas, et qui non habetis argentum, properate, emite, et comedite: venite, emite absque argento et absque ulla commutatione vinum et lac. Quare appenditis argentum non in panibus, et laborem vestrum non in saturitate? Audite audientes me, et comedite bonum, et delectabitur in crassitudine anima vestra. Inclinate aurem vestram, et venite ad me: audite, et vivet anima vestra, et feriam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles. Ecce, testem populis dedi eum, ducem ac praeceptorem gentibus. Ecce, gentem quam nesciebas, vocabis, et gentes, quae te non cognoverunt, ad te current, propter Dominum Deum tuum et sanctum Israel, quia glorificavit te.

Graduale. Ego sum ostium, dicit Dominus; per me si quis introierit, salvabitur et pascua inveniet.

℣. Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Alleluja, Alleluja.

℣. Hoc sentite in cordibus vestris quod in Corde Jesu: omnia in humilitate et caritate fiant. Alleluja.

Post Septuages. Omissis Alleluja cum V. dicitur: Laudate Dominum omnes gentes, et collaudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus, et veritas Domini manet in aeternum.

Tempore Pasch. Omisso Graduali dicitur Alleluja, Alleluja.

℣. Ego diligentes me diligo, et omnes recti corde diligunt me, et qui me oderunt, diligunt mortem. Alleluja.

℣. Gratia cum omnibus qui diligunt Cor meum, quia diligunt Christum ex toto corde suo. Alleluja.

Digitized by Google

Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum. Cap. 11.

In illo tempore respondens Jesus dixit: Confiteor tibi, Pater, Domine coeli et terrae, quia abscondisti haec a sapientibus et prudentibus, et revelasti ea parvulis. Ita, Pater, quoniam sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et nemo novit Filium nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis Corde, et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.

Offertorium. Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in Corde Domini omnibus diebus vitae meae, ut videam voluptatem Domini et visitem templum ejus.

Secreta. Suscipe, Domine, holocaustum perpetuum Cordis Jesu Christi Filii tui, Domini Nostri, et sit propitiatio pro peccatis nostris, ut gratiam tuam consecuti, in eo uno vivamus, qui pro nobis mori dignatus est: qui tecum vivit et regnat.

Praefatio de Nativitate.

Communio. Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum; beati qui habitant in domo tua, Domine; in saecula saeculorum laudabunt te.

Postcom. Concede nobis, misericors Deus, ut pasti deliciis sacramenti Cordis amantissimi Filii tui Domini Nostri Jesu Christi iis ita inebriemur, ut mortui saeculo tibi soli vivamus cum Unigenito Filio, qui tecum vivit.

Digitized by Google

D. Missa Gaudeamus P. J. Eudes.[1])

Introit. Gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes in honorem Cordis amantissimi Redemptoris Nostri Jesu Christi, cujus amorem adorant Seraphim psallentes in unum: Ecce, cujus imperium manet in aeternum.

Psalm. Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo: in consilio justorum et congregatione. Gloria Patri. Gaudeamus.

Oratio. Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui propter nimiam caritatem, qua dilexisti nos, dilectissimi Filii tui Cor amantissimum nobis ineffabili bonitate donasti, ut te uno corde cum ipso perfecte diligamus: praesta, quaesumus, ut cordibus nostris inter se, et cum Corde Jesu, in unum consummatis, omnia nostra in humilitate et caritate ejus fiant, atque ipso interveniente justa cordis nostri desideria compleantur. Per eumdem Dominum.

Lectio Ezechielis Prophetae. Cap. 36.

Haec dicit Dominus Deus: Sanctificavi Nomen meum magnum, ut sciant gentes, quia ego Dominus, ait Dominus exercituum, quum sanctificatus fuero in vobis coram eis. Tollam quippe vos de gentibus, et congregabo vos de universis terris, et adducam vos in terram vestram. Et effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et ab universis idolis vestris mundabo vos. Cor novum et spiritum ponam in medio vestri. Et auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri.

1) Vid. sup. pp. 469 seqq.

Digitized by Google

Grad. Quoniam estis filii Dei, misit Deus Spiritum et Cor Filii sui in corda vestra, clamantem: Abba Pater. Hoc sentite in cordibus vestris quod et in Corde ipsius: et ambulate in dilectione, sicut et ipse dilexit vos.

℣. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos: et hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos. Manete ergo in dilectione mea. Alleluja.

℣. Paratum cor meum, Deus cordis mei, paratum cor meum, ut quae placita sunt tibi, faciam semper, corde magno et animo volenti.

Sequentia.

Gaudeamus exultantes,
Cordis Jesu personantes
Divina praeconia.

Haec est dies veneranda,
In qua Patris adoranda
Laudamus praecordia.

Cor amandum Salvatoris,
Mellis fontem et amoris,
Corda cuncta diligant.

Cor beatum summi Regis,
Cor et vitam novae legis,
Omnes linguae concinant.

Sit laus plena, sit immensa,
Sit perennis, sit accensa
Ardoribus pectoris!

Laudet, canat orbis totus,
Colat, amet tota virtus
Et cordis et corporis!

Digitized by Google

Ora, manus, sensus, vigor,
Fides viva, purus amor,
Cor divinum consonent!

Flammis sacris inflammata
Corda, voces, atque facta,
Cor amoris praedicent!

Cor mirandum Redemptoris
Coadunans terram coelis,
Unitatis speculum.

Digna sedes Trinitatis,
Plenitudo Deitatis,
Amoris miraculum.

Amoris evangelium,
Puri cordis incendium,
Magna Dei gloria.

Coeli nectar vivificans,
Cordis manna deificans,
Amor et laetitia.

Cleri sacri praesidium,
Rector benigne cordium,
Nostra rege pectora!

Fons aeternae pietatis,
Ardens fornax caritatis,
Corda flammis devora!

Domus amoris aurea,
Turris amantum flammea,
Coetus nostri lex ignea,
Fons perennis gratiae.

Digitized by Google

Cor, thesaurus sanctitatis,
Abyssus humilitatis,
Thronus Dei voluntatis,
Et centrum clementiae.

Paradisus beatorum,
Consolator afflictorum,
Pax, et salus peccatorum;
Cor omnibus omnia.

O Jesu! raptor cordium,
Amore flagrans mentium,
Cor tuum trahat omnium
Mentes et praecordia.

O Cor! summa benignitas,
Immensa liberalitas,
Incomprehensa caritas,
Cordis vera felicitas,
Cor esto supplicibus.

Fac nos, Jesu', flammescentem
Cordis tui caritatem,
Et divinam pietatem,
Summam quoque sanctitatem
Sanctis sequi moribus!

O beata Trinitas,
Cordis Jesu caritas,
Immensae clementiae
Immensae sint gratiae,
Immensa sit gloria,
Amen dicant omnia! Amen.
Alleluja.

Digitized by Google

Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. Cap. 15.

In illo tempore: dixit Jesus discipulis suis: Sicut dilexit me Pater. (*Vide sup. in Missa* Egredimini p. 577. *Additur*: Haec mando vobis, ut diligatis invicem.)

Offertorium. Memor sit Dominus omnis sacrificii tui, amantissime Jesu; et holocaustum tuum pingue fiat: tribuat tibi secundum Cor tuum, et omne consilium tuum confirmet.

Secreta. Cordibus nostris, omnipotens Deus, Spiritum et Cor dilectissimi Filii tui Jesu benignus infunde, ut nos, uno spiritu et uno corde cum ipso, unam eamdemque hostiam offerentes, tibi etiam nosmetipsos, atque omnia nostra immolare mereamur. Per eumdem Dominum.

Praefatio de Nativitate.

Communio. Per Cor tuum, amantissime Jesu, amoris et doloris impetu pro nobis in morte disruptum, exaudi clamantes ad te, et miserere nobis, et posside cor nostrum in aeternum.

Postcom. Exaudi, quaesumus, clementissime Pater, preces familiae tuae, toto corde tibi prostratae, et praesta: ut amantissimi Cordis dilectissimi Filii tui ardentissima caritas, cordis nostri penetralia infundens, divinum nobis fervorem praebeat, nosque sui participes potenter efficiat; ut eodem Corde sacratissimo interveniente, corda nostra in igne tui amoris, atque in flamma aeternae caritatis, tibi jugiter immolentur, et justa eorum desideria compleantur. Per eumdem Dominum.

E. Missa Venite Patris Gallifet.[1])

Introit. Venite, exultemus Domino: diem festum

1) A doctissimis Cardinalibus Ludovico Pico de Mirandola et Ludovico Antonio Belluga approbata atque a P. Gallifet Sacrorum Rituum Congregationi oblata.

Digitized by Google

celebrantes in honorem Sanctissimi Cordis Jesu Christi Domini nostri, in quo sunt omnes thesauri Sapientiae et misericordiae Dei. Ipsi laus, ipsi gloria, ipsi gratiarum actio, ipsi imperium cordium in aeternum.

Psalm. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum: cantabo et psallam in gloria mea. Gloria Patri. Venite.

Oratio. Domine Jesu, qui ineffabiles Cordis tui divitias Ecclesiae sponsae tuae, singulari dilectionis beneficio, aperire dignatus es: concede propitius, ut gratiis coelestibus ex hoc dulcissimo fonte manantibus corda nostra ditari, ac recreari mereantur. Qui vivis et regnas Deus etc.

Lectio Ezechielis Prophetae.

Haec dicit Dominus Deus *ut in Missa praecedente.*

Graduale. Unus militum lancea latus ejus aperuit.

℣. Surge, propera amica mea, speciosa mea, et veni columba mea in foraminibus petrae, in caverna maceriae.

Ad hoc enim vulneratum est Cor Jesu, ut in illo habitare possimus. Alleluja, Alleluja.

℣. Venite adoremus, et procidamus ante ipsum, quod dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Nos autem ingratus populus ejus, et oves errantes a pascuis caritatis illius. Alleluja.

Post Septuagesimam omisso Alleluja et versu sequenti dicitur:

Tract. Vulneratum est propter iniquitates nostras: attritum est propter scelera nostra.

℣. Filios enutrivi et exaltavi, ipsi autem spreverunt me.

℣. Super omnes inimicos meos factus sum opprobrium, et vicinis meis valde: oblivioni datus sum tanquam mortuus a corde.

Digitized by Google

Tempore Paschali omittitur Graduale; ejus loco dicitur Alleluja, Alleluja.

℣. Vulnerasti Cor meum soror mea Sponsa. Vulnerasti Cor meum, in uno oculorum tuorum, in uno crine colli tui.

℣. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Alleluja.

Sequentia S. Evangelii secundum Joannem.

In illo tempore, unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit: et verum est testimonium ejus. Et ille scit, quia vera dicit: ut et vos credatis. Facta sunt enim haec, ut Scriptura impleretur: os non comminuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit: videbunt in quem transfixerunt. Credo.

Offertorium. Suscitabo mihi Sacerdotem fidelem, qui juxta Cor meum et animam meam faciet.

Secreta. Ascendant ad te, Domine, in odorem suavitatis, quas in laudem Cordis Filii tui Jesu Christi offerimus hostias: et ejusdem amantissimi Cordis igne corda nostra benignus accende. Per eumdem Dominum etc.

Praefatio de Nativitate Domini.

Communio. Improperium expectavit Cor meum et miseriam: et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit: et qui consolaretur, et non inveni.

Postcom. Respice, quaesumus, aeterne Pater, in Cor dilectissimi Filii tui, improperium et miseriam in ipso amoris sui Sacramento ab ingratis hominibus expectans: et fac ut

Digitized by Google

simul contristari ac debitis obsequiis idem Cor afflictissimum consolari valeamus. Qui tecum vivit.

In Missis votivis.

Introit. Venite exultemus Domino, memoriam celebrantes sanctissimi Cordis Jesu Christi Domini nostri etc. ut supra.

F. Missa Ingrediens.[1])

Introit. Ingrediens mundum dicit: sacrificium et oblationem noluisti; ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam, Deus meus, volui, et legem tuam in medio Cordis mei.

Psalm. Expectans expectavi Dominum, et intendit mihi. Gloria Patri. Ingrediens.

Oratio. Deus, qui in sacratissimo dilecti Filii tui Domini nostri Jesu Christi Corde ita tibi complaces totus, ut nihil ames quod ab ipso non ametur; da, quaesumus, ut amore ejus et aeternum amemur a te, et te per omnia super omnia, ac in omnibus amemus. Per eundem.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Ephesios. Cap. 3.

Fratres! In Christo Jesu Domino nostro habemus fiduciam et accessum in confidentia per fidem ejus. Propter quod peto, ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quae est gloria vestra. Hujus rei gratia flecto genua ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in coelis et in terra nominatur, ut det vobis secundum divitias gloriae suae, virtute corroborari per spiritum ejus in

1) E Missali edito Parisiis, typis *Le Mercier* an. 1739. Append. p. CXXIII.

Digitized by Google

interiorem hominem; Christum habitare per fidem in cordibus vestris in caritate radicati et fundati; ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quae sit latitudo et longitudo, et sublimitas et profundum; scire etiam supereminentem scientiae caritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ei autem qui potens est omnia facere, superabundanter quam petimus aut intelligimus, secundum quae operatur in nobis; ipsi gloria in Ecclesia, et in Jesu Christo, in omnes generationes saeculi saeculorum. Amen.

Graduale. Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur?

℣. Baptismo habeo baptizari; et quomodo coarctor, usquedum perficiatur? Alleluja, Alleluja.

℣. Laetatum est cor meum, quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Alleluja.

Sequentia.

Emundemus corda nostra;
Reserata patent claustro
Veri Sanctuarii.

Ad Cor Jesu fas est ire,
Fas in illud introire:
Penetremus huc pii.

Omnis isthic praesens adest,
Quae regina cunctis praeest,
Dei sapientia.

Isthinc omnis ad nos manat,
Quae dolores nostros sanat,
Veritas et gratia.

Digitized by Google

In hoc suae majestatis,
Suae Deus bonitatis
Purum cernit speculum.

Huc in Deum adorantem,
In Deum obtemperantem
Tendit semper oculum.

Cor in istud aspectabas,
Quum dilectum proclamabas,
Pater, tibi placitum.

Placet totus, unus placet;
Inamoenum omne jacet,
Hoc a Corde dissitum.

Fons o casti Cor timoris,
Puri centrum Cor amoris,
Quo Deus diligitur!

In succensa ceu fornace
Zelo Dei Cor vorace
Ardet, nec consumitur.

Nos in quibus visitavit,
Et caecos illuminavit,
Sunt hic Dei viscera.

Hic sunt, suos qua dilexit,
Et in finem bonis auxit,
Caritatis ubera.

Ex hoc Corde sanguis fluxit
In hoc sanguis Cor refluxit,
Qui nos mundat scelere.

Digitized by Google

Hic a morte vim salvantem,
Hic calorem animantem
Hausit, ut det vivere.

Vel ingratos lacrymantis,
Vel infidum osculantis,
Cor sincerum noscite.

Dum stupetis pavescentem,
Taesum, moestum, se turbantem,
Cordis aestus colite.

Quot pendentis sunt subsultus,
Verba, nutus et singultus,
Tot Cor fatur vocibus.

Quod in plagis morientis,
Patet idem resurgentis
Cor in cicatricibus.

Hinc quae per hos documenta
Quae per latus sacramenta,
Vitae fontes, exeunt!

Et scandentis verba bona,
Et regnantis magna dona
Hoc a Corde prodeunt.

O stupendum et amandum
Ut sumatur adorandum
Fidei mysterium!

Tuum, Jesu, Cor effundis,
Cor in tuum nostro condis
Quum te das edulium.

Digitized by Google

Huc o prompti festinemus,
Videamus, auscultemus,
Ipsa manu contrectemus
Vitam hic absconditam!

Cordi Jesu cor jungamus;
Quidquid sapit addiscamus,
Mentem mites induamus
Humilesque subditam.

O Cor Jesu Deo gratum,
In supernis adoratum,
Terris nostris in spem datum,
Te plaudentes colimus.

Cor o Jesu, recti forma,
Amandorum nobis norma,
Cor sis nostrum, cor reforma,
Quod nos vitiavimus.

Totum in hoc invenimus,
Deesse nostro quod sentimus;
Confidentes hinc haurimus
Quod acceptum tibi scimus,
Deus omnis gratiae.

Tuum nobis Cor dulcescat,
Nostrum tibi cor liquescat,
Ad te semper inardescat,
Jesu, donec effulgescat
Lux beatae patriae. Amen.

Post Septuagesimam, loco Alleluja, *dicitur:*

Tractus. Coepit Jesus pavere et taedere; et ait: Tristis est anima mea usque ad mortem. Positis genibus

Digitized by Google

orabat: Pater, si vis, transfer calicem istum a me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.

℣. Apparuit illi Angelus de coelo confortans eum: et factus in agonia, prolixius orabat.

Tempore Paschali, loco Gradualis: Alleluja, Alleluja. Alleluja, Alleluja.

℣. Ps. Laetatum est Cor meum, quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Alleluja, Alleluja.

℣. Caritas Christi urget nos; ut qui vivunt, ei vivant, qui pro ipsis mortuus est et resurrexit.

Si Missa ritu annuali aut solemni majore celebretur, dicitur Sequent. Emundemus, *ut supra.*

Sequentia sancti Evangelii secundum Matthaeum. Cap. 11.

In illo tempore, Jesus dixit: Omnia mihi tradita sunt a Patre meo, et nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis; et ego reficiam vos. Tollite jugum meum super vos et discite a me, quia mitis sum et humilis Corde, et invenietis requiem animabus vestris. Jugum enim meum suave est, et onus meum leve.

Offertorium. Ambulate in dilectione, sicut et Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis oblationem et hostiam Deo in odorem suavitatis.

Secreta. Unam oblationem Cordis et corporis Domini nostri Jesu Christi qua consummavit in sempiternum sanctificatos, fac nos, Deus, ea tibi hodie plenitudine fidei, eo amore tui puro, ea caritate Christi perfecta coram sanctis altaribus tuis exhibere, ut toti tui facti, hoc semper sentia-

Digitized by Google

mus in nobis, quod et in Christo Jesu. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit.

Praefatio de Nativitate.

Si D. Archiepiscopus celebrat in Pontificalibus, Bened. Pont.[1]) *Gal. 1.*

Gratia vobis, et pax a Deo Patre et Domino nostro Jesu Christo, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de praesenti saeculo nequam. ℟. Amen.

Et qui misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra, ipse det vobis hoc sentire in vobis, quod et in Christo Jesu, qui semetipsum humiliavit, factus obediens usque ad mortem. ℟. Amen.

Ut ejus sitis et hic imitatores, et post hanc vitam consortes, qui voluit legem Dei in medio cordis sui, cujus laetatum est Cor, et in spe caro requievit non visura corruptionem. ℟. Amen.

Quod ipse etc.

Communio. Mercenarius fugit, quia non pertinet ad eum de ovibus. Ego sum pastor bonus; cognosco meas, et cognoscunt me meae, et animam meam pono pro ovibus meis.

Postcom. Quae traxit omnia ad se corda nostra exaltatus a terra Jesus ea, Domine Deus, Cordi suo uniat arctissime, dans se nobis in amabili Sacramento suo; atque pia, in quibus visitavit nos, misericordiae et caritatis viscera diffundat in nos, ut vere discamus ab eo, quia mitis est et humilis Corde. Per eumdem Dominum.

G. Missa Venite.[2])

Introit. Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos: tollite jugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis Corde.

1) Vid. sup. p. 468.
2) Vid. sup. pp. 466 seqq.

Digitized by Google

Psalm. Diligam te, Domine, fortitudo mea: Dominus firmamentum meum et refugium meum; Deus, susceptor meus. Gloria Patri. Venite.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui ineffabiles tui Cordis divitias Ecclesiae, sponsae tuae, singulari delectionis beneficio, aperire dignatus es; concede propitius, ut gratiis coelestibus ex hoc dulcissimo fonte manantibus corda nostra ditari ac recreari mereantur. Qui vivis et regnas.

Fit commemoratio sacratissimi Cordis B. Mariae Virginis.

Clementissime Deus, qui ad peccatorum salutem et miserorum perfugium, Cor immaculatum beatae Mariae Virginis divino Cordi Filii tui Jesu Christi caritate et misericordia simillimum esse voluisti; concede, ut, qui hujus dulcissimi et amantissimi Cordis memoriam agimus, ejusdem beatae Virginis meritis et intercessione, secundum Cor Jesu inveniri mereamur. Per eundem.

Lectio Isaiae Prophetae. Cap. 53.

Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit; et nos putavimus eum quasi leprosum et percussum a Deo et humiliatum; ipse autem vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostrae super eum, et livore ejus sanati sumus. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit; et posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum. Sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet, et non aperiet os suum. De angustia et de judicio sublatus est. Generationem ejus quis enarrabit?

Digitized by Google

Graduale. Pater Domini nostri Jesu Christi det vobis, secundum divitias gloriae suae, Christum habitare per fidem in cordibus vestris, ut possitis comprehendere, quae sit latitudo, et longitudo, et sublimitas, et profundum.

℣. Scire etiam supereminentem scientiae caritatem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem Dei. Alleluja, Alleluja.

℣. Hoc sentite in vobis, quod et in Christo Jesu. Alleluja.

Post Septuagesimam omissis Alleluja *cum* ℣. *et Prosa dicitur*:

Tractus. Improperium expectavit Cor meum et miseriam, et sustinui qui consolaretur, et non inveni.

℣. Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.

℣. Unus militum lancea latus ejus aperuit.

℣. Surge, amica mea, et veni in foraminibus petrae, in caverna maceriae.

Sequentia.[1])

Venite cuncti, currite
Ad Cor Jesu mitissimum:
Cunctos vocat, confidite;
Amoris est incendium.

En illa vobis panditur
Fornax amoris ignea;
En militis recluditur
Is gratiae fons lancea.

1) Hodieque in pluribus Dioecesibus Galliae dicitur, v. g. in Dioec. Bellovacensi, Noviomensi, Silvanectensi, ut patet ex earundem Ordine Divini Officii an. 1860, p. 44.

Digitized by Google

O Cor, amoris victima,
Amore nostri saucium,
Mortalium spes ultima,
Solamen hic moerentium.

Tu Trinitatis gloria,
Unit tibi se Filius,
Sunt Patris in te gaudia,
In te quiescit Spiritus.

Tu portus orbi naufrago,
Reis asylum mentibus,
Cordi cibus famelico,
Certa quies fidelibus.

Hic tuto parant milites
Pulso pavore praelia;
Pax alma virtutis comes
Hic sede regnat propria.

Quibus nitescunt virgines
Hic casta fragrant lilia;
Et unde fulgent martyres
Blande rubescit purpura.

Hoc quibus mundus agitur
Vices reguntur pectore,
Hoc et quibus abluitur,
Manant fluenta gratiae.

O Cor! Deo par victima,
Altare sacratissimum,
In quo perennis hostia
Culpas piat mortalium.

Digitized by Google

O Cor! amore saucium,
Amore corda saucia;
O jugis amor Coelitum,
Amore nos inebria. Amen.

Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. Cap. 19.

In illo tempore: Judaei, quoniam Parasceve erat . . . et verum est testimonium ejus. *(Vide supra in Missa* **Miserebitur** *pag. 574.)*

Offertorium. Ignem veni mittere in terram; et quid volo, nisi ut accendatur? Baptismo habeo baptizari; et quomodo coarctor, usque dum perficiatur.

Secreta. Cordibus nostris, omnipotens Deus, spiritum et unctionem dilectissimi Filii tui Jesu benignus infunde; ut nos uno Spiritu et uno corde cum ipso unam eandemque hostiam immolantes, tibi etiam nosmetipsos munus aeternum offerre mereamur. Per eundem.

Fit commemoratio sacratissimi Cordis beatae Mariae Virginis.

Majestati tuae, Domine, agnum immaculatum offerentes, quaesumus, ut corda nostra ignis ille divinus inflammet, quo accensum Cor sanctissimae Virginis Mariae agnum Filium suum tuumque unigenitum in ara crucis tibi obtulit, Jesum Christum Dominum Nostrum. Qui tecum vivit et regnat.

Praefatio propria.

Per Christum Dominum Nostrum: Qui sacrum Cor suum, divini amoris fornacem, per latus transfixum lancea, mundo patere voluit, ut eandem flammam in hominum corda transfunderet; Cor mundum animas mundans; Cor summe sanctum sanctitatem conferens; Cor benignum volens omnes

Digitized by Google

salvos fieri, et in coelesti regno feliciter coronari. Et ideo divinum illud Cor omnium virtutum fontem pie veneramur; cum Angelis et Archangelis, cum Thronis et Dominationibus cumque omni militia coelestis exercitus, hymnum gloriae Deo Patri, parem hymnum Deo Filio, hymnum parem Spiritui Sancto unanimi voce concinimus sine fine dicentes: Sanctus etc.

Communio. Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.

Postcom. Exaudi, quaesumus, clementissime Pater, preces familiae tuae toto corde tibi prostratae; et praesta, ut amantissimi Cordis dilecti Filii tui immensa caritas cordis nostri intima magis ac magis penetret, divinum in nobis semper augeat fervorem. Per eundem.

Commemoratio sacratissimi Cordis B. Mariae Virginis.

Domine Jesu Christe, qui de virginalis uteri thalamo procedens, in ejusdem intemeratae Virginis Corde suaviter ac perpetuo quievisti; quaesumus, ut peractis corporis et sanguinis tui Mysteriis, jugiter in cordibus nostris habitare digneris. Qui vivis et regnas etc.

H. Missa Exurge.[1])

Introit. Exurge, Deus, judica causam tuam; memor esto improperiorum tuorum, eorum quae ab insipiente sunt tota die.

Psalm. Ut quid, Deus, repulisti in finem? Iratus est furor tuus super oves pascuae tuae? Gloria Patri. Exurge.

---

1) Pro ecclesiis sanctimonialium O. S. B. adorationis perpetuae a S. R. C. approbata d. 14. Jan. 1845. — Feria V. post Dom. Sexages. in solemnitate reparationis sacrosancti Sacramenti celebranda.

Digitized by Google

Oratio. Adeuntes cum fiducia ad thronum gratiae tuae, Domine Jesu, propitius respice et exaudi, ut gloria tua, quae in Sacramento amoris tui perpetuis impiorum contumeliis impetitur, perpetuo quoque tibi famulantium cultu reparetur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

Lectio Fpistolae beati Pauli Apostoli ad Hebraeos. Cap. 10.

Fratres! Habentes fiduciam in introitu sanctorum in sanguine Christi, quam initiavit nobis viam novam et viventem per velamen, id est, carnem suam, et sacerdotem magnum super domum Dei: accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda: teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem (fidelis enim Deus est, qui repromisit), et consideremus invicem in provocationem caritatis, et bonorum operum; non deserentes collectionem nostram, sicut consuetudinis est quibusdam, sed consolantes, et tanto magis quanto videritis appropinquantem diem. Voluntarie enim peccantibus nobis, post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia, terribilis autem quaedam expectatio judicii, et ignis aemulatio, quae consumptura est adversarios. Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus, vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, et sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, et Spiritui gratiae contumeliam fecerit? Scimus enim qui dixit: Mihi vindicta, et ego retribuam; et iterum: Quia judicabit Dominus populum suum. Horrendum est incidere in manus Dei viventis.

Graduale. Quanta malignatus est inimicus in sancto!

Digitized by Google

Incenderunt igni sanctuarium tuum; in terra polluerunt tabernaculum nominis tui.

℣. Usquequo Deus improperabit inimicus? Irritat adversarius nomen tuum in finem? Alleluja, Alleluja.

℣. Dignus es, Domine, accipere virtutem, et divinitatem, et sapientiam, et fortitudinem, et honorem, et gloriam, et benedictionem.

Sequentia.

Jesu mitis, expiatum
Mundi tollis qui peccatum,
Quo te flemus conculcatum,
Tolle nefas impium.

Os occlude blasphemanti,
Sana mentem nauseanti,
Ne des sanctum usurpanti,
Ne te credas non amanti,
Fac te cuncti paveant.

Scelus adhuc dum videmus,
Fletus praeter quid nos demus?
En nos tibi devovemus:
Fletus ipse, quos spondemus,
Da qui tibi placeant.
Amen. Alleluja.

Post Septuagesimam, omissis Alleluja, *Versu sequenti et Sequentia, dicitur Tractus.*

Tractus. ℣. Peccavimus, iniquitatem fecimus (Domine), in omnem justitiam tuam.

℣. Avertatur, obsecro, ira tua, et furor tuus a civitate tua, et monte sancto tuo.

Digitized by Google

℣. Tibi, Domine, justitia; nobis autem confusio faciei; tibi, Domino Deo nostro, misericordia et propitiatio.

℣. Nunc ergo exaudi, Deus noster, orationem nostram, et ostende faciem tuam super sanctuarium tuum, quod desertum est, propter temetipsum.

℣. Inclina, Deus meus, aurem tuam, et audi; aperi oculos tuos, et vide desolationem nostram.

℣. Non enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.

℣. Exaudi, Domine; placare, Domine; attende et fac; ne moreris propter temetipsum, Deus meus.

℣. Quia nomen tuum invocatum est super civitatem, et super populum tuum.

Sequentia S. Evangelii secundum Joannem. Cap. 6.

In illo tempore: Dixit Jesus turbis Judaeorum: Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum; et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo Judaei ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam: et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo.

Offertorium. Domine Deus, omnium Creator, terribilis et fortis, justus et misericors, qui solus es bonus Rex, solus praestans, solus justus et omnipotens et aeternus, qui

Digitized by Google

liberas Israel de omni malo, accipe sacrificium pro universo populo tuo, et custodi partem tuam, et sanctifica; contemptos et abominatos respice, ut sciant gentes, quia tu es Deus noster.

Secreta. Suscipe, quaesumus, Domine, de manu humilitatis nostrae sacrificium propitiationis, et praesta, ut quod in honorem Filii tui Domini nostri, majestati tuae supplici-ter offerimus, per hoc infinita, quae propter nimiam suam in nos caritatem recipit, opprobria reparemus. Qui tecum.

Praefatio propria.

Per Christum Dominum nostrum, verum aeternumque Pontificem, et solum sine peccati macula sacerdotem, cujus sanguine fidelium corda mundantur; cujus institutione placationis tibi hostias non solum pro delictis populi, sed etiam pro nostris offensionibus, immolamus. Per quem majestatem tuam laudant Angeli.

Communio. Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat; qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans Corpus Domini.

Postcom. Clementissime Jesu, qui etiam Corporis et Sanguinis tui reos a misericordiae tuae visceribus non repellis, concede propitius, ut quibus ineffabilis hujus mensae participatio fuit in laqueum, fiat illis postmodum in salutis remedium et amoris alimentum. Qui vivis et regnas.

I. Missa Aurelianensis In capite libri.[1])

Introit. In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam: Deus meus volui et legem tuam in medio Cordis mei.

1) A Ludovico-Gastone Fleuriau d'Armenonville, Episcopo Aurelianensi, edita an. 1716; vide sup. pp. 86—87.

Digitized by Google

Psalm. Paratum Cor meum Deus, paratum Cor meum: cantabo et psallam in gloria mea. Gloria Patri. In capite libri.

Oratio. Respice, quaesumus, Domine, in faciem et in Cor Christi Filii tui, et sacros ignes, quibus ardet quosque venit mittere in terram ut accendantur, ita cordibus nostris benignus infunde, ut nihil sciamus, nihil desideremus praeter eundem D. N. J. Ch.

Epistola et Graduale, ut in Missa Gaudeamus *P. Eudes supra pp. 581—582.*

Post Septuages. omisso Alleluja *et versu seq. dicitur*

Tractus. Improperium exspectavit Cor meum et miseriam: multiplicati sunt super capillos capitis mei, qui oderunt me gratis.

℣. Surge, propera, amica mea, columba mea, speciosa mea, et veni. Unus militum latus meum aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Vide manus meas et pedes meos et Cor dilecti tui, qui dilexit te et lavit te a peccatis tuis in sanguine suo.

Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:

Alleluja, Alleluja. Pax vobis; ego sum, nolite timere; sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos; manete in dilectione mea. Alleluja.

℣. Diligam te, Domine, fortitudo mea, et firmamentum meum, et refugium meum et liberator meus. Alleluja.

Evangelium, Credo, Offertorium, Secreta et Praefatio, ut in eadem Missa Gaudeamus *P. Eudes p. 585.*

Communio. Cor meum et caro mea exultaverunt in te, Deus cordis mei, et pars mea Deus in aeternum.

Digitized by Google

Postcom. Exaudi, Domine Jesu Christe, intercedente beata et gloriosa semper Virgine tua genitrice Maria, preces familiae tuae toto corde tibi prostratae, et praesta, ut corda nostra igne tui amoris et aeternae caritatis accensa tuo sacratissimo Cordi jugiter immolemur, et eorum justa desideria compleantur. Per eundem D. N.

K. Alia Missa In capite libri.

Omnia ut in Missa praecedenti except. oratione, comm. et postcom.

Oratio. Respice, quaesumus, misericordissime Deus, in Cor dilectissimi Filii tui, in quo tibi bene complacuisti, ejusque sanctissimi Cordis moeroribus, quos nostri causa pertulit, et dignis satisfactionibus, quas pro nobis tibi persolvit, placatus, concede corde contrito petentibus nostrorum nobis veniam peccatorum: et tanto Christi amore cor nostrum accende, ut ipsius divini Cordis affectibus toti incensi secundum Cor tuum inveniri mereamur. Per eundem Dominum, etc.

Communio. Per Cor tuum, amantissime Jesu, amoris et doloris impetu pro nobis in morte disruptum, exaudi clamantes ad te, miserere nobis, et posside cor nostrum in aeternum. Amen.

Postcom. Exaudi, quaesumus, clementissime Pater, preces familiae tuae toto corde tibi prostratae, et praesta, ut amantissimi Cordis dilectissimi Filii tui ardentissima caritas, cordis nostri penetralia infundens, divinum nobis fervorem praebeat, nosque sui participes potenter efficiat; ut eodem Corde sacratissimo interveniente corda nostra in igne tui amoris atque in flamma aeternae caritatis tibi jugiter immolentur, et justa eorum desideria compleantur. Per eundem D. N.

Digitized by Google

L. Tertia Missa In capite.

Omnia ut in Missa praecedenti praeter prosam de reparandis injuriis illatis Christo in SS. Sacramento (quae refertur etiam in Missali Parisiensi anni 1739, pag. CXLIX.) et Praefat. propr.

Sequentia.

Plange Sion, muta vocem;
Da lamentum, et atrocem
Dic furorem hominum.

Multum amans, multum plora:
Erit Deo laus decora
Vivus horror criminum.

Non est Deo jam litare,
Non hanc coenam manducare,
Quae dat vita vivere.

Caedi rursum destinatur,
Rursum probris saturatur,
Qui nos venit quaerere.

Quam nefande nuntiatur,
Quam indigne renovatur
Crucis improperium!

Tradit, negat, fugit discipulus:
Dux, rex, miles, sacerdos, populus
Urgent Deicidium.

Amor Dei quod expressit,
Ad salutem quod concessit,
Transit in judicium.

Digitized by Google

Sanctus hic polluítur,
Vero contradicitur,
Fert Bonus opprobrium.

Agnus idem coeli thronum,
Et altaris sacrat donum;
Quam diverso pretio!

Coelo lux est, nox in ara:
Laus in coelis, hic amara
Instat contradictio.

Coeli plaudunt qui gaudentes,
Hic acerbe condolentes
Adstant pacis nuntii.

O vos, tristes ululate,
Iram in vos formidate
Venientem, impii!

Agnis agnus, haedus haedis
Pura mundis, tetra foedis
Dat referre praemia.

Ara Christi se mactantis
Fit tribunal judicantis:
Fertur jam sententia.

Sermo durus vobis sonat,
Quem sincera fides tonat?
Exit sermo durior.

Ad hanc coenam non intrare,
In aeternum non gustare
Damnat Rex severior.

Digitized by Google

Spectat intro discumbentes
Vestes inter tot fulgentes
Ecquis nudus cernitur?

O quod pondus catenarum:
O quis horror tenebrarum,
Queis ligatus traditur!

Quot infirmi sopiuntur,
Mortis somno quot premuntur,
Rei carnis Domini!

Heu! quo caeci vos abitis?
Vitam praestat vera vitis:
Quare moriemini?

At nos ad quem juvat ire?
In quem juvat nos sitire?
A te Jesu, quem audire,
Via, vita, veritas?

Non jam stamus irridentes:
Cor superbum conterentes,
Laudi planctum commiscentes,
Mentes damus subditas.

Et nos super ceciderunt,
Quae te probra tetigerunt:
In profanos exarserunt
Corda te timentium.

Agne mitis, expiatum
Mundi tollis qui peccatum,
Quo te flemus conculcatum,
Tolle nefas impium.

Digitized by Google

Os occlude blasphemanti,
Sana mentem nauseanti,
Ne des sanctum usurpanti;
Ne te credas non amanti:
Fac te cuncti paveant.

Scelus adhuc dum videmus,
Fletus praeter quid nos demus?
En nos tibi devovemus:
Fletus ipsi, quos spondemus,
Da, qui tibi placeant. Amen.

Praefatio propria.

Per Christum D. N. — Qui in terris conversatus sacrum Cor suum nobis proposuit mansuetudinis et humilitatis exemplar: sed et Ipsum in cruce, ut misericordiae suae paterent viscera, lancea militis voluit aperiri. Hoc est enim divini amoris sacrarium, de cujus plenitudine omnes accipiunt. Hic fons vitae indeficiens, unde virtutum omnium charismata perpetuo derivantur. Hoc sacrum caritatis asylum, in quo paratur justis requies, peccatoribus perfugium, solamen moestis, et robur languentibus. — Et ideo.

M. Missa Habentes.

Introit. Habentes fiduciam in introitu Sanctorum in sanguine Christi, accedamus cum vero corde in plenitudine fidei, aspersi corda a conscientia mala, et abluti corpus aqua munda: et consideremus invicem in provocationem caritatis et bonorum operum.

Psalm. Venite, adoremus et procidamus ante Deum, qui fecit nos. Gloria Patri. Habentes.

Oratio. Domine Jesu, qui ineffabilis Cordis tui divi-

Digitized by Google

tias Ecclesiae tuae novo beneficio aperire dignatus es, concede, ut hujus sacratissimi Cordis amori respondere, et injurias eidem afflictissimo Cordi ab ingratis hominibus collatas, dignis obsequiis compensare valeamus. Qui vivis.

Lectio Ezechielis Prophetae C. 47.

Convertit me Dominus ad portam domus, et ecce aquae egrediebantur subter limen domus ad Orientem, facies enim domus respiciebat ad Orientem: aquae autem descendebant ad latus templi dextrum ad meridiem Altaris; et ecce aquae redundantes a latere dextro. Et dixit ad me: certe vidisti, fili hominis. Et eduxit me et convertit ad ripam torrentis, et ait ad me: Aquae istae intrabunt mare, et exibunt, et sanabuntur aquae. Et omnis anima vivens, quae serpit, quocunque venerit torrens, vivet. Et erunt pisces multi satis, postquam venerint illuc aquae istae, et sanabuntur et vivent omnia, ad quae venerit torrens. Et super torrentem orietur in ripis ejus ex utraque parte omne lignum pomiferum. Non deficiet folium ex eo, et non defluet fructus ejus: per singulos menses afferet primitiva, quia aquae ejus de Sanctuario egredientur; et erunt fructus ejus in cibum, et folia ejus ad medicinam.

Graduale. Ostendit mihi Angelus fluvium aquae vitae procedentem de sede Dei et Agni, et ex utraque parte fluminis lignum vitae.

℣. Hic est qui venit per aquam et sanguinem Jesus Christus: non in aqua solum, sed in aqua et sanguine. Alleluja, Alleluja.

℣. Qui sitit, veniat; et qui vult, accipiat aquam vitae gratis. Alleluja.

Digitized by Google

Sequentia.

Constat 8 strophis, quae habentur in II. Officio parvo infra ponendo ad quatuor horas I, III, VI et IX. O Cor amoris victima etc. *cum clausula ibidem relata:* Jesu Patris Cor unicum.

Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. Cap. 19.

Judaei ergo, quoniam Parasceve erat, *ut supra in Missa* Miserebitur *p. 574.*

Offertorium. Deduc quasi torrentem lacrymas per diem et noctem. Consurge, lauda et effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini; leva ad Deum manus tuas.

Secreta. Pretiosa nos, Domine, Cordis tui Sacratissimi commercia vivificent; ut ablato a nobis corde lapideo, tua semper caritate vivamus. Qui vivis.

Praefatio de Nativitate.

Communio. Vivo ego; jam non ego; vivit vero in me Christus, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me.

Postcom. Concede nobis, quaesumus, Domine, divini Cordis filii tui Sacrarium ingressis, ut in eo nostra fixa sint corda: in quo thesaurus, quies et sanctarum felicitas praeparatur animarum. Per eundem. D. N.

N. Missa O altitudo *in festo vitae interioris D. N. J. Ch.*[1])

Introit. O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! Quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, et investigabiles viae ejus in Filio ejus Jesu Christo Domino nostro, alleluja, alleluja.

Psalm. Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtu-

1) Ex Proprio Seminarii Sancti-Sulpitii, fer. V. hebdom. II. post Pascha.

Digitized by Google

tum! Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Gloria Patri. O altitudo.

Oratio. Deus, qui omnes thesauros sapientiae et scientiae, ac vitae tuae plenitudinem posuisti in Filio tuo, ut ex ipso in omnes abundanter effluéret: concede, quaesumus, sic Interiorum illorum illustrari splendoribus et sanctitate penetrari, ut totaliter intus reformati, tibi similes esse mereamur. Per eumdem.

Lectio Epistolae beati Pauli Apostoli ad Colossenses Cap. 1.

Paulus, apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, et Timotheus frater, eis qui sunt Colossis, sanctis et fidelibus fratribus in Christo Jesu: gratia vobis et pax a Deo Patre nostro, et Domino Jesu Christo. Gratias agimus Deo et Patri Domini nostri Jesu Christi, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum Filii dilectionis suae, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum. Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae: quoniam in ipso condita sunt universa in coelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates; omnia per ipsum et in ipso creata sunt; et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant. Et ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis; ut sit in omnibus ipse primatum tenens: quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare; et per eum reconciliare omnia in ipsum; pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt.

Alleluja, Alleluja.

℣. Interiora tua, Domine, sicut montes Dei: Interiora

Digitized by Google

tua abyssus multa: quoniam apud ipsa est fons vitae, et in illis videbimus majestatem Dei. Alleluja.

℣. Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in eis omnibus diebus vitae meae, ut videam voluptatem Domini, et visitem templum ejus.

Sequentia.

Viventis en velaminis
Interiora reserat;
In nos Dei Cor hominis
Se fundere desiderat.

Juvat pudicis moribus
Christum foris exprimere,
Intus purgatis sensibus
Magis juvat induere.

O lucem mentis intimam!
O zelo Cor exercitum;
Ad mortem moestam animam!
Victorem mortis spiritum!

Coelestis hic scientiae
Thesauri sunt absconditi;
Hic verae sapientiae
Vivi fontes sunt abditi.

Deo mens plena quem videt,
Extra Deum non cursitat;
Totam Deus quam possidet,
Deum praeter nil cogitat.

Quae non molitur grandia,
Sciens a quo processerit,
Qui dat in manus omnia,
Ad quem redire mox erit!

Digitized by Google

Est Corde scripta medio,
Altoque fixa pectori
Lex haec, Patris imperio
Subjectum in cruce mori.

Prius carnem quam offerat
Cruento sacrificio,
Amoris se litaverat
Perenni Cor incendio.

O quam dulci perfundimur,
Jesu, spes nostra, gaudio
Mentis et cordis! gerimur
Hoc intimo sacrario.

Hic lux quae nos illuminat,
Hic quae nos salvat gratia;
Tua nostram quam ordinat
Meretur hic justitia.

Per haec misericordiae
Quibus abundas viscera,
Jesu, da plena gratiae
Tua sugamus ubera.

Ut noster tibi placeat
Homo cordis absconditus,
Ille, qui te, nos repleat
Casti timoris Spiritus.
Amen. Alleluja.

Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. Cap. 14.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Ego sum via, et veritas, et vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cogno-

Digitized by Google

vissetis: et amodo cognoscetis eum, et vidistis eum. Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis. Dicit ei Jesus: Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovistis me? Philippe, qui videt me, videt et Patrem. Quomodo tu dicis: Ostende nobis Patrem? Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est? Verba, quae ego loquor vobis, a meipso non loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera. Non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quae ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet: quia ego ad Patrem vado. Et quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam: ut glorificetur Pater in Filio. Credo.

Offertorium. In die solemnitatis Interiorum Christi, introduxit nos in terram fluentem lac et mel, ut et laus sit in ore nostro, et exultemus ab uberibus consolationis ejus: replebimur in bonis domus tuae, laetabimur et exultabimus in eis, memores uberum tuorum super vinum, alleluja, alleluja.

Secreta. Da nobis, quaesumus, Domine, in sanctitate tua per Interioria Filii tui ita creaturis omnibus emori, ut totis animae nostrae viribus ad te suspirantes, cum beata Virgine Maria et omnibus Sanctis conversationem habeamus in Interioribus Unigeniti tui, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti, Deus, per omnia saecula saeculorum.

Praefatio propria.

Vere dignum et justum est, aequum et salutare, Te quidem, Domine, omni tempore, sed in hac potissimum solemnitate Interiorum Filii tui gloriosius collaudare, benedicere et praedicare: quia gloria virtutis eorum tu es; et per ea exaltabitur nomen sanctum tuum in coelo et in terra. Nam

Digitized by Google

in illis est omnimoda plenitudo vitae; et ipsa sunt omnium fons gratiarum, quae irrigant universam faciem terrae. Quapropter, profusis per illa gaudiis, totus in orbe terrarum mundus exultat; sed et supernae Virtutes, atque angelicae Potestates, hymnum gloriae tuae concinunt, sine fine dicentes: Sanctus, etc.

Communio. Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus Interiora tua, Domine: mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo; etenim Dominus habitavit in finem. Quis dabit mihi pennas sicut columbae? et volabo, et requiescam, alleluja, alleluja.

Postcom. Fac nos, quaesumus, Domine, pro tui nominis gloria Interiorum tuorum participes, ut eorum vita vivamus, idipsum cum ipsis sapiamus: et sic vitam eorum possideamus interius, ut hoc in nostro resplendeat opere, quod per gratiam fulget in mente. Qui vivis et regnas.

O. In festo B. Margaritae Mariae Alacoque, Virginis.

Die 17. Octobris.

Missa de Communi Virginum, praeter orationes sequentes.

Oratio. Domine Jesu Christe, qui investigabiles divitias Cordis tui Beatae Margaritae Virgini mirabiliter revelasti, da nobis ejus meritis et imitatione, ut te in omnibus et super omnia diligentes jugem in eodem Corde tuo mansionem habere mereamur. Qui vivis.

Secreta. Accepta tibi sint, Domine, plebis tuae munera, et concede, ut ignis ille divinus nos inflammet, quo de Corde Filii tui emisso Beata Margarita vehementer aestuavit. Per eundem.

Digitized by Google

Postcom. Corporis et Sanguinis tui, Domine Jesu, sumptis mysteriis concede nobis quaesumus, Beata Margarita Virgine intercedente, ut superbis saeculi vanitatibus exutis, mansuetudinem et humilitatem Cordis tui induere mereamur. Qui vivis.

§. II.

Ex Breviario.

A. Ex Officiis Breviarii Romani.

* *Preces quotidianae*

a pluribus Praelatis Germaniae personis ecclesiasticis praescriptae.

POST VESPERAS.

Hymnus.

Quicumque certum quaeritis
Rebus levamen asperis:
Seu culpa mordet anxia,
Seu poena vos premit comes:

Jesu, qui ut agnus innocens
Sese immolandum tradidit,
Ad Cor reclusum vulnere,
Ad mite Cor accedite.

Auditis, ut suavissimis
Invitet omnes vocibus:
Venite, quos gravat labor,
Premitque pondus criminum.

Quid Corde Jesu mitius?
Jesum cruci qui affixerant,
Excusat, et Patrem rogat,
Ne perdat ultor impios.

Digitized by Google

O Cor! voluptas coelitum,
Cor fida spes mortalium,
En hisce tracti vocibus
Ad te venimus supplices.

Tu nostra terge vulnera
Ex te fluente sanguine:
Tu da novum Cor omnibus,
Qui te gementes invocant. Amen.

Ant.[1]) Misericordia Domini a progenie in progenies timentibus eum. (Alleluja.)

℣. Ego autem in Domino gaudebo,

℟. Et exultabo in Deo Jesu meo.

Oremus.

Fac nos, Domine Jesu, sanctissimi Cordis tui virtutibus indui et affectibus inflammari: ut et imagini bonitatis tuae conformes, et tuae redemptionis mereamur esse participes. Qui vivis et regnas.

POST LAUDES.

Hymnus.

Summi Parentis Filio,
Patri futuri saeculi,
Pacis beatae Principi,
Promamus ore canticum.

Qui vulneratus pectore
Amoris ictum pertulit,
Amoris urens ignibus,
Ipsum qui amantem diligunt.

1) In insigni hac Dioecesi Brixinensi omitti solent Antiphonae.

Digitized by Google

Jesu doloris victima,
Quis te innocentem compulit,
Ut dura apertum lancea
Latus pateret vulneri?

O fons amoris inclyte!
O vena aquarum limpida!
O flamma adurens crimina!
O Cordis ardens caritas!

In Corde, Jesu, jugiter
Reconde nos, ut uberi
Dono fruamur gratiae
Coelique tandem praemiis.

Semper Parenti, et Filio
Sit laus, honor, sit gloria,
Sancto simul Paraclito
In saeculorum saecula. Amen.

Ant. Per viscera misericordiae suae visitavit nos Deus et fecit redemptionem populi sui. (Alleluja.)

℣. Mihi autem adhaerere Deo bonum est,

℟. Ponere in Domino Deo spem meam.

Oremus.

Fac nos, Domine Jesu, sanctissimi, *ut supra.*

Oratio s. Bernardi ad Cor Jesu vulneratum.[1])

(e ll. II. Nocturn.)

Quia semel venimus ad Cor dulcissimum Jesu, bonum est nos hic esse etc. Vide sup. pp. 392—393.

1) De vulnere SS. Cordis Jesu dignus est qui legatur canon Concilii Viennensis an. 1311, relat. in *Clementin.* cap. *Fidei* un. de summa Trinitate et fide catholica (I, 1).

Digitized by Google

Preces Romanae

in templo Sanctae Mariae de Pace recitari solitae in fine publici *exercitii expiationis* pro injuriis SS. Cordi Jesu inflictis maxime tempore Bacchanalium.

Hymnus.

En, ut superba criminum
Et saeva nostrorum cohors
Cor sauciavit innocens
Merentis haud tale Dei!

Vibrantis hastam militis
Peccata nostra dirigunt,
Ferrumque dirae cuspidis
Mortale crimen acuit.

Ex Corde scisso Ecclesia
Christo jugata nascitur:
Hoc ostium Arcae in latere est
Genti ad salutem positum.

Ex hoc perennis gratia
Ceu septiformis fluvius;
Stolas ut illic sordidas
Lavemus Agni in sanguine.

Turpe est redire ad crimina,
Quae Cor beatum lacerent;
Sed aemulemur cordibus
Flammas amoris indices.

Hoc, Christe, nobis; hoc, Pater,
Hoc Sancte, dona, Spiritus,
Quibus potestas, gloria,
Regnumquē in omne est saeculum. Amen.

Digitized by Google

℣. Cor Jesu flagrans amore nostri.

℟. Inflamma cor nostrum amore tui.

Oremus.

Concede, quaesumus, Omnipotens Deus, ut qui in Sanctissimo dilecti Filii tui Corde gloriantes, praecipua in nos caritatis ejus beneficia recolimus, eorum pariter et actu delectemur et fructu.

Deus omnium fidelium Pastor et Rector, famulum tuum N., quem Pastorem Ecclesiae tuae praeesse voluisti, propitius respice: da ei, quaesumus, verbo et exemplo quibus praeest proficere, ut ad vitam una cum grege sibi credito perveniat sempiternam.

Deus refugium nostrum et virtus, adesto piis Ecclesiae tuae precibus, auctor ipse pietatis, et praesta: ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Hymnus.

Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui!
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui:
Praestet fides supplementum
Sensuum defectui.

Genitori Genitoque
Laus et jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque,
Sit et benedictio:
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio. Amen.

Digitized by Google

℣. Panem de coelo praestitisti eis,

℟. Omne delectamentum in se habentem.

Oremus.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili Passionis tuae memoriam reliquisti: tribue, quaesumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra Mysteria venerari, ut Redemptionis tuae fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas etc.

B. Ex Propr. Congregat. Jesu et Mariae aliae Eudistarum.[1])

Die 20. Octob. *Fest. divinissimi Cordis Jesu. Dupl. I. Cl. cum Octava.*

AD I. VESPERAS.

Psalmi de Dom.; *sed loco ultimi Psal.* Laudate Dominum omnes gentes.

1. *Ant.* Jesus ingrediens mundum, dicit: In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam: Deus meus, volui, et legem tuam in medio Cordis mei. Alleluja.

2. Venite ad me, filioli; in caritate enim perpetua dilexi vos: ideo attraxi vos ad Cor meum, fontem omnium bonorum. Alleluja.

3. Ego diligentes me diligo, et deliciae meae esse cum filiis hominum. Alleluja.

4. Cor meum caritas est; qui manet in caritate, in Corde meo manet, et Cor meum manet in eo. Alleluja.

5. Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo: et scribam super eum nomen meum, et cor unum mecum habebit in aeternum. Alleluja.

---

1) Vide sup. pp. 469 seqq.

Digitized by Google

Capitulum. III. Reg. 9.

Sanctificavi mihi domum hanc, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum, et erunt oculi mei, et Cor meum ibi cunctis diebus.

Hymnus.

Jesu, paterni pectoris
Et virginis Cor unicum,
Cordis tui mirabilis
Omnes canant praeconium.

O Cor, amator Numinis,
Amore Patris igneum,
Amore flagrans Virginis,
Amore nostri saucium!

Nam sponsa, corde saucia,
Te vulneratum vulnerat:
Te dissecat mors impia,
Et hasta dire perforat.

Ave, dolorum victima,
Centrum Crucis, Rex Martyrum:
Fac nostra sit Crux gloria,
Amor, corona, gaudium.

O Cor, amore saucium,
Amore corda saucia:
Vitale nectar coelitum,
Amore nos inebria.

Tu caritatis hostia,
Mortalium salvatio,
Aperta cunctis gratia,
Et omnium redemptio.

Digitized by Google

Venite, gentes, currite
Ad Cor Patris mitissimum:
Omnes amat, confidite,
Amoris est incendium.

En cernitur patescere
Fornax amoris flammea:
Flammis volo me tradere,
Me devoret mors ignea.

Amor, Pater clementiae,
Amor, Redemptor omnium,
Amor, Deus, fons gratiae,
Regnes in omne seculum.
Amen.

Haec doxologia dicitur in fine omnium Hymnorum ejusdem metri.

℣. Sic nos dilexit Jesus, ut daret nobis Cor suum.

℟. Gratias ei super inenarrabili dono ejus.

Ad Magnif. Ant. Gaude, Maria, Mater Redemptoris: ecce vulnerasti et rapuisti Cor ejus, et factum est Cor tuum: ipsumque nobis dedisti, ut cum Patre et Matre cor unum habeamus. Alleluja.

Oratio. Pater misericordiarum, ut sup. p. 493.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Jesu Cor amantissimum, venite, adoremus: Qui est amor et vita nostra.

Psalm. Venite, exultemus Domino, etc.

Hymnus.

Verbum caro, rex cordium,
Cordis tui miracula
Linguis canantur omnium
Miraculorum maxima.

Digitized by Google

Ave, Patris mirabilis
Et unici Cor unicum:
Origo sacri Flaminis,
Terrae polique vinculum.

Quam magna fers mysteria,
Immensa gaza coelitum:
Amoris arca regia,
Ecclesiae sacrarium!

Pars nostra, spes et gaudium,
Coetusque nostri gloria:
Cor, flamma, dux, oraculum,
Origo, finis, omnia.

Quam mira Jesu gratia!
Nos Corde toto diligit:
Solvamus ut nos debita,
Nobis suum Cor tradidit.

O qualis haec dignatio!
Dat Cor Mariae Filius,
Dat Cor Maria Filio,
Utrumque dant volentibus.

O te volo, Cor flammeum,
Tu semper intus ardeas:
Fons omnium charismatum,
Totum per orbem diffluas.

O Cor meum, Cor unicum,
Virtus, salus, fiducia,
Thesaure, sol et jubilum,
In te mihi sunt omnia.

Digitized by Google

Amor, Pater clementiae,
Amor, Redemptor omnium,
Amor, Deus, fons gratiae,
Regnes in omne saeculum. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Christus Jesus, a sinu Patris amore nimio egressus, exultavit ut gigas ad currendam viam: nec est qui se abscondat a calore dilectionis ejus.

Psalm. 18. Coeli enarrant.

Ant. Memor sit Pater omnis sacrificii tui, o Rex amoris, et tribuat tibi secundum Cor tuum.

Psalm. 19. Exaudiat te Dominus.

Ant. Desiderio desideravi, meipsum et in victimam et in escam dare vobis: et desiderium Cordis mei tribuit mihi Pater.

Psalm. 20. Domine, in virtute.

℣. Sic nos dilexit Jesus, ut daret nobis Cor suum.

℟. Gratias ei super inenarrabili dono ejus.

Lectio 1.

De Ezechiele Propheta.

Cap. 36.

Sanctificabo nomen meum magnum, ut sciant gentes, quia ego Dominus, ait Dominus exercituum, quum sanctificatus fuero in vobis coram eis. Tollam quippe vos de gentibus, et congregabo vos de universis terris, et adducam vos in terram vestram. Et effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, et ab universis idolis vestris mundabo vos. Et dabo vobis Cor novum, et spiritum novum ponam in medio vestri: et auferam

Digitized by Google

cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum, et spiritum meum ponam in medio vestri.

℟. Elegi et vocavi Filium meum Jesum, virum voluntatis meae, et secundum Cor meum. * Quae placita sunt mihi, facit semper, corde magno et animo volenti.

℣. Paratum Cor meum, Pater sancte, paratum Cor meum, ut faciam omnes voluntates tuas. * Quae.

Lectio 2.

De Canticis Canticorum.

Cap. 3.

Ferculum fecit sibi rex Salomon de lignis Libani: columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media caritate constravit, propter filias Jerusalem. Egredimini et videte, filiae Sion, regem Salomonem in diademate, quo coronavit illum mater sua, in die desponsationis illius, et in die laetitiae Cordis ejus.

℟. Dabo vobis spiritum et cor novum; Spiritum et Cor meum ponam in medio vestri: * Ut diligatis Deum corde magno et animo volenti.

℣. Quoniam estis filii Dei, et membra Christi, posuit Deus Spiritum suum, et Cor Filii sui in medio vestri; ut cum Patre et capite vestro sit vobis spiritus unus et cor unum. * Ut.

Lectio 3. Cap. 4.

Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni. Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Vulnerasti Cor meum, soror mea sponsa; vulnerasti Cor meum, in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui. Veni in hortum meum, soror mea sponsa; messui myrrham meam, cum aro-

Digitized by Google

matibus meis: comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo; comedite, amici, et bibite, et inebriamini, carissimi.

℟. Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, benedicant tibi omnes virtutes tuae; * Quia sic nos dilexisti, ut Filium tuum unigenitum, et omnia cum ipso nobis donares.

℣. Ut cum ipso Cor unum habentes, te uno corde diligamus, secundum magnitudinem bonitatis tuae. * Quia. Gloria. * Quia.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Unam petii a Domino, hanc requiram: ut in die malorum abscondat, et protegat me in abscondito Cordis sui.

Psalm. 26. Dominus illuminatio mea.

Ant. In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam: Deus meus, volui, et legem tuam in medio Cordis mei.

Psalm. 39. Expectans expectavi Dominum.

Ant. Paratum Cor meum, Pater sancte, paratum Cor meum: confitebor tibi in cithara Cordis mei in sempiternum.

Psalm. 56. Miserere mei, Deus.

℣. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos.

℟. Et vos manete in dilectione mea.

Lectio 4.

Sermo sancti Bernardi Abbatis.

(Ex Tract. de Passione Domini super istud Joan. Ego sum vitis vera. *Cap. 3.)*

Foderunt Judaei et perfoderunt, non solum manus, sed et pedes, latus quoque; et sanctissimi Cordis intima furoris lancea perforaverunt, quod jamdudum amoris lancea fuerat vulneratum. Vulnerasti, inquit in Canticis amoris sponsus,

Digitized by Google

Cor meum, soror mea, sponsa; vulnerasti Cor meum. Vulnerat Cor tuum, Domine Jesu, sponsa sua, amica tua, soror tua. Quid necessarium fuit illud ab inimicis tuis ultra vulnerari? Quid agitis, o inimici? Si vulneratum est, imo quia vulneratum est Cor dulcis Jesu, quid secundum vulnus apponitis? An ignoratis, quod uno vulnere tactum Cor emoritur, et sit insensibile? Mortuum est Cor Domini Jesu, quia vulneratum: possedit vulnus amoris; possedit mors amoris Domini Cor, sponsi Jesu: quomodo mors altera introibit?

℟. Omnia mihi tradita sunt a Patre meo. Et sic Pater dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: itaque omnia vestra mea sunt, et omnia mea vestra sunt. * Praebete ergo mihi cor vestrum, filioli, et dabo vobis Cor meum.

℣. Cor nostrum in manu tua, o Domine Jesu, secundum magnitudinem brachii tui posside illud in aeternum. * Praebete.

Lectio 5.

Vide quanta sit vis amoris domum Cordis obtinentis, et per vulnus dulcissimum occidentis non solum in Domino Jesu, sed et in servis ipsius. Veniamus ad Martyres: feriuntur et gaudent; occiduntur et triumphant. Quare? Quia morte caritatis, intus in corde, jamdudum mortui peccatis, mortui mundo, tanquam insensibiles facti, nec minas, nec tormenta sentire potuerunt. Sed quia semel venimus ad Cor dulcissimum Jesu, et bonum est nos hic esse, ne sinamus nos facile avelli ab eo, de quo scriptum est: Recedentes a te in terra scribentur. Accedamus ergo ad eum, et exultabimus, et laetabimur in illo, memores Cordis ipsius.

℟. Cor Jesu, verum altare holocausti, in quo ignis divinus semper accenditur. * Afferte, filii Dei, afferte corda vestra, ut in hoc altari Deo jugiter immolentur.

Digitized by Google

℣. Dirumpe, Domine, vincula mea, et tibi sacrificabo hostiam laudis et amoris. * Afferte.

Lectio 6.

O quam bonum et quam jucundum habitare in Corde Jesu! Bonus thesaurus, bona margarita Cor tuum, bone Jesu, quam fosso agro tui corporis invenimus. Quis hanc margaritam abjiciat? Quin potius dabo omnia, omnes cogitationes et affectus mentis commutabo, et comparabo illam mihi: jactans omne cogitatum meum in Cor Domini Jesu, et sine fallacia, illud me enutriet. Ad hoc templum, ad haec sancta sanctorum, ad hanc arcam testamenti adorabo, et laudabo nomen Domini, dicens cum David: Inveni cor meum, inquit, ut orem Deum meum. Et ego inveni Cor Regis, fratris et amici, benigni Jesu. Et numquid non adorabo? Orabo utique; Cor enim illius meum est. Audacter dicam; si enim caput meum Christus est, quomodo quod capitis mei est, non meum est? Sicut ergo oculi capitis mei corporalis, mei oculi vere sunt; ita et spiritualis Cor, Cor meum est. Bene ergo mihi: Ego vere cum Jesu cor unum habeo. Et quid mirum, cum multitudinis credentium fuerit cor unum?

℟. Fornax amoris Cor tuum, o amantissime Jesu. * Afferte corda vestra in hanc fornacem, ut in igne divini amoris, et in flamma aeternae caritatis consumantur.

V. Beati, qui in ignem aeternum hujus fornacis mittuntur. * Afferte. Gloria. Afferte.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Accedamus ad Cor altissimum Jesu, ut per ipsum, et cum ipso, et in ipso, exaltemus et diligamus Deum, secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Digitized by Google

Psalm. 63. Exaudi, Deus, orationem.

Ant. Qui adhaeret Domino Jesu, unum cor et unus spiritus est; et de immenso thesauro Cordis ejus accipiet immensa bona.

Psalm. 72. Quam bonus Israel Deus.

Ant. Turbatum et anxiatum est Cor meum: defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus; propter nimiam caritatem, qua dilexi vos.

Psalm. 142. Domine, exaudi orationem meam.

℣. Vivat Cor Jesu, Rex cordium.

℟. Et regnet super omnia corda in aeternum.

Lectio 7.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem. C. 16.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos: manete in dilectione mea. Et reliqua.

Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

(In Joan. Homil. 76.)

Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos. Hic jam magis secundum hominem loquitur. Nam qui mori voluit; qui servos, inimicos, hostes, in tanto honore habere dignatus est, et in coelum adduxit, quomodo dilectionis mensuram ostendit? Si ergo vos diligo, confidite; sed ne inde negligentes faceret, vide quomodo eos rursus excitat: Manete, inquit, in dilectione mea. Hoc in vestra est potestate. Quomodo autem hoc erit? Si praecepta mea servaveritis, sicut ego praecepta Patris mei servavi. Considera autem, quanta eos auctoritate alloquatur; non enim dixit: manete in dilectione Patris, sed mea. Inde vero ne dicerent:

Digitized by Google

Quando nos omnibus inimicos reddidisti, tunc nos dimittis, tunc discedis. Hoc negat; sed ita se eis, modo velint, conglutinari dicit, ut palmes viti.

℟. Thronus meus flamma ignis: fluvius igneus rapidusque egreditur a facie mea. Et ego ignis consumens, ignem veni mittere in terram: * Et quid volo nisi ut accendatur?

℣. O ignis, qui semper ardes et nunquam extingueris! O amor, qui semper ferves et nunquam tepescis, accende me totum, ut totus diligam te! * Et.

Lectio 8.

In me, inquit, respicite. Diligit me Pater, et tamen mors acerbissima mihi subeunda proponitur. Non igitur vos nunc relinquo, eo quod non diligam. Nam si ego morior, nec tamen propterea a Patre non amari conjicio; sic neque vos ob discessum meum perturbari oportet. Si in dilectione mea manseritis, nihil vobis nocere poterit. Magnum namque et inseparabile quiddam est dilectio, quae non tantum verbis, sed re exhibenda est. Itaque quum ipse nos Deo reconciliaverit, in amore perstemus. Quum diligere ipse inceperit, nos saltem prosequamur. Quum ipse non sui commodi gratia, nullius enim eget, nos saltem ad nostram utilitatem diligamus. Quum ipse inimicos, nos saltem eum, qui amicus est, amore prosequamur.

℟. O admirabilis Cordis Jesu caritas, qui pro crucifigentibus se oravit, dicens: * Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.

℣. Filioli, ponite corda vestra in caritate Cordis mei, ut diligatis inimicos vestros, et oretis pro persequentibus vos. * Pater. Gloria. * Pater.

Digitized by Google

Loctio 9. (De Hom. 76.)

Haec locutus sum vobis, ut gaudium vestrum impleatur: hoc est, ne discedatis a me, neve a cursu desistatis. Vos amici mei estis, si feceritis quae praecipio vobis. Jam non dico vos servos, quia servus nescit quid faciat Dominus ejus; vos autem dixi amicos, quia omnia quae audivi a Patre meo, nota feci vobis. Nihil aliud his verbis innuit, quam maximi amoris indicium, quod arcana Patris cum eis communicaverit. Quum autem omnia dicit, de his intelligendum, quae eos audire conveniat. Ecce quot modis suam proponit dilectionem, quum et secreta Patris eis aperuerit, quum in amore praevenerit, quum pro ipsis tot mala patiatur, quumque perpetuo ipsis se permansurum ostendit.

Te Deum.

AD LAUDES ET PER HORAS.

(Psalmi de Dominica.)

1. *Ant.* O altitudo divitiarum caritatis Jesu! quam incomprehensibilia sunt opera ejus, et amabiles viae ejus!

2. O amor admirabilis, tu Filium Dei pro nobis de sinu Patris egredi, in sinu Matris infantem fieri, cum hominibus in terris conversari; et mortem pati acerbissimam fecisti! Alleluja.

3. O dilectio ineffabilis! Ecce Cor Jesu amoris et doloris impetu pro nobis in morte disruptum est. Gratias ei super inenarrabili caritate ejus.

4. O amor amorum! carnem suam nobis in cibum; sanguinem in potum, in pretium, in lavacrum; et semetipsum in Patrem, in sponsum, in caput, in Cor, et in praemium donavit aeternum. Gratias ei super immensis Cordis ejus donis.

Digitized by Google

5. Benedictum Cor tuum, o bone Jesu, super quod discipulus dilectus recumbens, fluenta Evangelii amoris tui, nobis effundenda potavit. Alleluja.

Capitulum III. Reg. 9.

Sanctificavi mihi.

Hymnus.

Quid Corde regis cordium
Coli potest amantius?
Cordi Patris charismatum
Quid Corde Nati carius?

Ave, Cor, aula Numinis,
Thesaure, coelum, gloria,
Amor Parentis Virginis,
Amor triumphans omnia.

Memento, dilectissime,
Amoris ardentissimi,
Qui Patris ortum pectore
Pro me dedit te Virgini.

Mundi recedant somnia,
Amor meus, Rex unicus,
Solus mihi sit omnia,
Jesum volo, nil amplius.

O summa Jesu caritas,
Vultu benigno respice
Mentes draconi subditas,
Tuo redemptas sanguine.

Digitized by Google

Heu! quanta pro mortalibus
Tu Corde passus vulnera!
Non vana peccatoribus
Sint tanta Cordis munera.

Amande raptor cordium,
Per Cor tuum, fac omnia
Ad te, Creator omnium,
Sursum rapi praecordia.

O Cor, Pater viventium,
Amore fac nos vivere:
Fac in tuum, pro te, sinum
Amore vitam fundere.

Amor, Pater clementiae,
Amor, Redemptor omnium,
Amor, Deus, fons gratiae,
Regnes in omne saeculum.
Amen.

℣. Omnis spiritus laudet Cor Jesu et Mariae.

℟. Et diligant illud omnia corda.

Ad Bened. Ant. Benedictum sit Cor amantissimum Jesu et Mariae, fons vivus benedictionis, fornax amoris, thronus divinae voluntatis, sanctuarium Divinitatis. Alleluja.

Oratio. Pater misericordiarum.

AD PRIMAM.

Ant. O altitudo divitiarum.

℣. *br.* Christe Fili.

℟. Qui natus es de Maria Virgine.

AD TERTIAM.

Ant. O amor admirabilis.

Capit. Sanctificavi mihi.

Digitized by Google

℣. *br.* Sic nos dilexit Jesus. * Ut daret nobis Cor suum. Sic nos.

℟. Gratias ei super inenarrabili dono ejus. * Ut daret. Gloria Patri. Sic nos.

℟. Sicut dilexit me Pater, et ego dilexi vos.

℣. Et vos manete in dilectione mea.

AD SEXTAM.

Ant. O dilectio ineffabilis.

Capitulum. Osee 11.

Ego quasi nutritius Ephraim, portabam eos in brachiis meis, et nescierunt quod curarem eos. In funiculis Adam traham eos, in vinculis caritatis.

℟. *br.* Sicut dilexit me Pater. * Et ego dilexi vos. Sicut.

℣. Et vos manete in dilectione mea. * Et. Gloria Patri. Sicut.

℣. Vivat Cor Jesu, Rex cordium.

℟. Et regnet super omnia corda in aeternum.

AD NONAM.

Ant. Benedictum Cor tuum.

Capitulum. Cant. 4.

Vulnerasti Cor meum, soror mea, sponsa; vulnerasti Cor meum, in uno oculorum tuorum, et in crine colli tui.

℟. *br.* Vivat Cor Jesu, * Rex cordium. Vivat Cor.

℣. Et regnet super omnia corda in aeternum. * Rex cordium. Gloria Patri. Vivat Cor.

℣. Omnis spiritus laudet Cor Jesu et Mariae.

℟. Et diligant illud omnia corda.

AD II. VESPERAS.

Ps. de Dom.; sed loco ultimi Ps. **Lauda Jerusalem.**

Digitized by Google

1. *Ant.* O admirabile Cor Jesu, in quo Deus Pater altissimum dilectionis et gloriae suae thronum constituit. Alleluja.

2. O incomparabilis caritas! Quum adhuc inimici essemus, dilexit nos; et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Alleluja.

3. Nolite timere, filioli, et si mulier oblita fuerit infantis sui, ego tamen non obliviscar vestri. Ecce in manibus meis, et in Corde meo descripsi vos. Alleluja.

4. Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, et illi sint mecum; et nobiscum ac inter se sint cor unum, sicut et nos unum sumus. Alleluja.

5. Filioli, implete gaudium meum, ut omnia vestra in caritate Cordis mei fiant. Paratum cor nostrum, Deus cordis nostri, paratum cor nostrum. Alleluja.

Capitulum. III. Reg. 9.

Sanctificavi mihi.

Hymnus.

Flammata Jesu pectora
Amoris igne psallimus:
Immensa laeti munera
Cordis benigni pangimus.

Ave, sacerdos cordium,
Ave, Deo par victima,
Templum Deo dignissimum,
Et ara sacratissima.

O semper ara flammea,
Cunctis parata victimis,
Tu corda tollas omnia,
Flammis litanda coelicis.

Digitized by Google

O magna fornax Coelitum,
Aeterna praebens gaudia,
Praecordiis mortalium
Coeli feras incendia.

En illa fornax panditur:
Afferte sacris ignibus.
Afferte corda, pascitur
Fornax amanda cordibus.

En corda, quae mirabilis
Fornacis ignes concrement:
Cordis faces amabilis
Terram, polumque devorent.

Omnes genua flectunt dum cantantur duae strophae sequentes:

Tot ergo tanti pectoris
Omnes canant mysteria:
Cordisque tam laudabilis
Strati colant magnalia.

O Christe, fornax cordium,
Immerge flammis supplices:
Amor vorax amantium,
Fac nos amoris martyres.

Amor, Pater clementiae,
Amor, Redemptor omnium,
Amor, Deus, fons gratiae,
Regnes in omne saeculum.
Amen.

℣. Omnis spiritus laudet Cor Jesu et Mariae.
℟. Et diligant illud omnia corda.

Digitized by Google

Ad Magnif. Ant. Tibi laus, tibi honor, tibi gloria, o amantissime Jesu, qui dedisti Cor tuum dilectissimae Matri tuae; ut ipsa tibi uno Corde in salutem humanam cooperans, digna salvatoris Mater effici mereretur. Alleluja.

Oratio. Pater misericordiarum.

C. Officium in festo SS. Cordis Jesu a P. Gallifet S. Rituum Congregationi oblatum.[1])

AD I. VESPERAS.

Ant. In capite Libri, *ut infra in Laudibus.*

Psalm. De Dominica, sed loco ultimi psalm. Laudate Dominum omnes gentes.

Capitulum. III. Reg. 9.

Sanctificavi *ut supra p. 623.*

Hymnus.

Cor, digna sedes numine,
Te sacra virtus flaminis
Illapsa in alvum Virginis,
Puro creavit sanguine.

Cor sole puro purius,
Templumque coelo dignius,
Verbi Dei sacrarium,
Opum Dei compendium.

Tu portus orbi naufrago,
Secura pax fidelibus:
Puris asylum mentibus,
Puris recessus cordibus.

1) A Cardinalibus de Mirandola et Belluga approbatum. Vide sup. p. 585.

Digitized by Google

Nidus gementis turturis,
Gratum columbis pabulum:
Hortus refulgens floribus,
Sponsae quies et lectulum.

Hic casta spirant lilia
Quibus nitescunt Virgines:
Hic, unde splendent Martyres,
Blande rubescit purpura.

Hic sacra virtutum cohors,
Custos, comesque candidae
Fidelis innocentiae
In sede regnat propria.

Jesu, Patris Cor unicum
Puris amicum mentibus
Puris amandum cordibus
In corde regnes omnium. Amen.

℣. Discite a me, quia mitis sum et humilis Corde. Alleluja.

℟. Et invenietis requiem animabus vestris. Alleluja.

Ad Magnif. Ant. Improperium exspectavit Cor meum et miseriam: et sustinui qui simul contristaretur, et non fuit; et qui consolaretur, et non inveni.

Oratio. Domine Jesu, qui ineffabiles Cordis tui divitias Ecclesiae, sponsae tuae, singulari dilectionis beneficio aperire dignatus es: concede propitius, ut gratiis coelestibus ex hoc dulcissimo fonte manantibus corda nostra ditari ac recreari mereantur. Qui vivis.

Ad completorium, per horas in fine hymnorum dicitur: Jesu tibi sit Gloria, qui natus es de Virgine.

Digitized by Google

AD MATUTINUM.

Invit. Cor Jesu amore nostri vulneratum: Venite adoremus.

Psalm. Venite exultemus.

Hymnus.

Jesu voluptas cordium,
Cor ure sacris ignibus,
Ut lingua pangat dignius,
Cordis tui praeconium.

Hoc, jura quae mundum regunt,
Volvuntur alto pectore:
Hoc fonte, quae mentes beant,
Manant, fluenta gratiae.

Cor, ara coelo celsior,
Terris marique latior,
Quas ante non exceperis
Deus repellit hostias.

Ex te quot actus prodeunt
Tot digna Patre munera:
Quot vota fundis, tot Pater
Justa rependit praemia.

Vindex reis irascitur
Deus, sed, ut te respicit,
Placatus iras abjicit,
Et fulmen obliviscitur.

Jesu, Patris Cor unicum,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium. Amen.

Digitized by Google

IN I. NOCTURNO.

Ant. A dextris est mihi Dominus, ne commovear: propter hoc laetatum est cor meum.

Psalm. 15. Conserva me Domine.

Ant. Tribuat tibi secundum cor tuum, et omne consilium tuum confirmet.

Psalm. 19. Exaudiat te Dominus.

Ant. Desiderium Cordis ejus tribuisti ei: quoniam praevenisti eum in benedictionibus dulcedinis.

Psalm. 20. Domine in virtute tua.

℣. Ignem veni mittere in terram. Alleluja.

℟. Et quid volo nisi, ut accendatur. Alleluja.

Lectio 1.

De Cantico Canticorum.

Cap. 2.

Introduxit me in cellam vinariam, ordinavit in me caritatem. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. En dilectus meus loquitur mihi; surge, propera amica mea, columba mea, formosa mea, et veni: jam enim hiems transiit, imber abiit et recessit: flores apparuerunt in terra nostra: ficus protulit grossos suos: vineae florentes dederunt odorem suum. Surge amica mea, speciosa mea et veni; columba mea in foraminibus Petrae, in caverna maceriae; ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis, et facies tua decora.

℟. Cor Jesu divinissimum: speculum sine macula Dei majestatis, imago bonitatis illius.

℣. Dives in omnes qui invocant te. * Imago.

Lectio 2. Cap. 4.

Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es amica mea: oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet.

Digitized by Google

Donec aspiret dies, et inclinentur umbrae, vadam ad montem mirrhae, et ad collem thuris. Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te. Veni de libano sponsa mea, veni de libano, veni: coronaberis de capite Amano, de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus Leonum, de montibus Pardorum. Vulnerasti Cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti Cor meum, in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui.

℟. Cor Jesu amabilissimum, in quo sibi Pater bene complacuit: In quo sunt omnes thesauri sapientiae et misericordiae Dei.

℣. In quo inhabitat omnis plenitudo Divinitatis. * In quo.

Lectio 3. Cap. 8.

Adjuro vos filiae Jerusalem, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Quae est ista quae ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Sub arbore mali suscitavi te: ibi corrupta est mater tua; ibi violata est genitrix tua: Pone me ut signaculum super Cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio. Lampades ejus, lampades ignis, atque flammarum. Aquae multae non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

℟. Cor Jesu amantissimum et afflictissimum: per quod Patri complacuit reconciliare omnia: Pacificans per sanguinem ejus sive quae in terris, sive quae in coelis sunt.

℣. Dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. * Pacificans. Gloria. Pacificans.

Digitized by Google

IN II. NOCTURNO.

Ant. Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in Corde Domini omnibus diebus vitae meae.

Psalm. 26. Dominus illuminatio mea.

Ant. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei.

Psalm. 89. Expectans expectavi Dominum.

Ant. A finibus terrae ad te clamavi: dum anxiaretur cor meum.

Psalm. 60. Exaudi Deus deprecationem meam.

℣. In caritate perpetua dilexi te. Alleluja.

℟. Ideo attraxi te, miserans. Alleluja.

Lectio 4.

De sermone S. Bonaventurae Ecclesiae doctoris.
(Ex Stimul. Divin. amor. cap. 1.)

O Passio desiderabilis! O mors admirabilis! Quid mirabilius, quam quod mors vivificet: vulnera sanent: apertio lateris cor Cordi conjungat. O mors amabilis! O mors delectabilis! Non volo amplius ab Jesu in cruce pendente separari: bonum est enim cum illo esse: et in ipso volo tria tabernacula facere: unum in manibus, unum in pedibus, sed aliud continuum in latere. Ibi loquar ad Cor ejus, et ab ipso quod voluero impetrabo. O amantissima vulnera Domini Nostri Jesu Christi! Quum in ea subintrarem, perveni ad intima viscera caritatis ejus: ibi inhabito, ibi tanta abundo dulcedine, ut tibi non valeam enarrare. O caecitas filiorum Adae, qui per haec vulnera in Christo nesciunt introire! Supra suas vires laborant in vanum, et aperta sunt ostia ad quietem. An ignoratis, quod Christus est gaudium

Digitized by Google

Beatorum? Cur ergo tardatis per sui corporis foramina in illud gaudium introire? Beatitudo Angelorum patet. Circumstans paries ejus confractus est: et vos introire negligitis!

℟. Unus militum lancea latus ejus aperuit. Ad hoc vulneratum est Cor Jesu, ut in eo habitare possimus.

℣. Veni columba mea in foraminibus petrae, in caverna maceriae. * Ad hoc.

Lectio 5.

Crede mihi, o homo, quia si in Jesum per haec angusta foramina intrare volueris, non solum anima, sed etiam corpus tuum quietem ac dulcedinem mirabilem inveniet. Et quod carnale est, in illo vulnerum introitu, fiet adeo spirituale, ut caeteras delicias, praeter eas quas ibi sentit, reputes esse nihil. Et si ita accidit de corpore, quanta credis animam frui dulcedine, quae per illa foramina conjungitur Cordi Christi? Certe exprimere tibi nequeo. Sed experire, et scito. Ecce aperta est apotheca omnibus aromatibus plena. Aperta est janua paradisi, et per lanceam militis gladius versatilis est amotus: Ecce lignum vitae tam in ramis, quam in stipite perforatum. Ecce apertus est thesaurus divinae sapientiae et caritatis aeternae. Intra ergo per vulnerum aperturam.

℟. Si quis sitit, veniat ad Cor Jesu, sanguine et aqua manans, et bibat! Qui biberit ex aqua hac, non sitiet in aeternum.

℣. Omnes sitientes venite ad aquas, properate, venite, emite absque argento, et absque ulla commutatione vinum et lac. * Qui biberit.

Lectio 6.

O quam beata lancea et beati clavi, qui apertionem ejusmodi facere meruerunt! O si fuissem loco illius lanceae,

Digitized by Google

exire de Christi latere noluissem; sed dixissem: haec requies mea in saeculum saeculi: hic habitabo, quoniam elegi eam. O stulti et tardi corde, qui ad possidendum Dei Filium, summum bonum, candorem et splendorem aeternum, per apertas vulnerum januas non introitis! O anima ad imaginem Dei facta! Quomodo te potes amplius continere? Ecce sponsus tuus dulcissimus pro te vulneratus, te cupit amplecti, et ad ipsum negligis festinare; nam prae nimio amore aperuit sibi latus, ut tibi tribuat Cor suum. O vulnera corda saxea vulnerantia, et mentes congelatas inflammantia, et pectora adamantina liquefacientia prae amore!

℟. Cor Jesu amore jam vulneratum, iterum iterumque vulneratum est propter iniquitates nostras, attritum est propter scelera nostra. Quis illud Cor tam vulneratum non diligat?

℣. Gratia cum omnibus, qui diligunt Cor Domini Jesu. * Quis illud. Gloria. Quis.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Defecit caro mea et Cor meum Deus cordis mei.

Psalm. 72. Quam bonus Israel Deus.

Ant. Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum.

Psalm. 83. Quam dilecta tabernacula tua.

Ant. Paratum cor meum, Deus.

Psalm. 107. Paratum cor meum, Deus, etc.

℣. Defecit caro mea et cor meum, Deus cordis mei. Alleluja.

℟. Et pars mea Deus in aeternum. Alleluja.

Digitized by Google

Lectio 7.

Lectio S. Evangelii secundum Joannem.
C. 19.

In illo tempore, unus militum lancea latus ejus aperuit. Et reliqua.

Homilia sancti Bernardi abbatis.
(De Passione Domini c. 3.)

Foderunt non solum manus, sed et pedes; latus quoque, et Sanctissimi Cordis intima, furoris lancea perforaverunt, quod jamdudum amoris lancea fuerat vulneratum. Vulnerasti, inquit, Cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti Cor meum. Sed quia semel venimus ad Cor dulcissimum Jesu, et bonum est nos hic esse, ne sinamus nos facile avelli ab eo. O quam bonum, et quam jucundum, habitare in Corde hoc! Bonus thesaurus, bona margarita Cor tuum, bone Jesu! Quis hanc margaritam abjiciat? Quin potius dabo omnia, et comparabo illam mihi, jactans omne cogitatum in Cor Domini Jesu. Ad hoc templum, ad haec Sancta Sanctorum, ad hanc arcam testamenti adorabo, et laudabo nomen Domini, dicens cum David: inveni Cor meum, ut orem Deum meum. Et ego inveni Cor regis, fratris et amici benigni Jesu: et numquid non adorabo?

℟. Improperium expectavit Cor meum, et miseriam. Sustinui qui simul contristaretur, et non fuit. Consolantem me quaesivi, et non inveni. * Sustinui.

℣. Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Tu vero homo unanimis, qui simul mecum dulces capiebas cibos. * Consolantem.

Lectio 8.

Orabo utique: Cor enim illius meum est. Audacter dicam; nam si caput meum Christus est, quomodo quod

Digitized by Google

capitis mei est, non meum est? Hoc igitur Corde tuo, et meo, dulcissime Jesu, invento, orabo te Deum meum. Admitte in sacrarium exauditionis tuae preces meas: imo me totum trahe in Cor tuum. Amplius lava me ab iniquitate mea, ut in Corde tuo omnibus diebus vitae meae merear habitare: ad hoc enim perforatum est latus tuum, ut nobis patescat introitus. Ad hoc vulneratum est Cor tuum, ut in illo habitare possimus. Et propterea vulneratum est, ut per vulnus visibile, vulnus amoris invisibile videamus Quomodo hic ardor melius ostendi potest, nisi quod non solum corpus, verum etiam ipsum Cor lancea vulnerari permisit. Carnale ergo vulnus, vulnus spirituale ostendit. Quis illud Cor tam vulneratum non diligat?

℟. Unam petii a Domino, hanc requiram: ut inhabitem in Corde Domini: omnibus diebus vitae meae.

℣. Haec requies mea in saeculum saeculi. Hic habitabo quoniam elegi eam. * Omnibus diebus vitae meae. Gloria. Omnibus diebus.

Lectio 9.

(Ex ejusdem sermone 61 super Cantic.)

Ego fidenter quod ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini: quoniam misericordia affluunt, nec desunt foramina per quae effluant. Foderunt manus ejus, et pedes, latusque lancea foraverunt: et per has rimas licet mihi sugere mel de petra: id est, gustare, et videre, quoniam suavis est Dominus. Ferrum pertransiit animam ejus, et oppropinquavit Cor illius. Patet arcanum Cordis per foramina corporis. Patet magnum illud pietatis sacramentum. Patent viscera misericordiae Dei nostri. Quam magna multitudo dulcedinis in illis! Nobis revelavit Deus per Spiritum suum, et apertis foraminibus introduxit in sancta. Ibo ad

Digitized by Google

illa cellaria, et habitabo in petra. Ero quasi columba nidificans in ore foraminis.

Te Deum.

AD LAUDES ET PER HORAS.

(Psalmi de Dominica.)

1. Ant. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam. Deus meus volui: et legem tuam in medio cordis mei. Alleluja.

2. Defecit caro mea et cor meum. Deus cordis mei: et pars mea Deus in aeternum. Alleluja.

3. Factum est Cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei. Alleluja.

4. Vulnerasti Cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti Cor meum. Alleluja.

5. Veni Columba mea in foraminibus petrae, in caverna maceriae. Alleluja.

Capitulum III. Reg. 9.

Sanctificavi.

Hymnus.

O Cor, Deo par Victima,
Altare sacratissimum,
In quo perennis Hostia
Culpas piat mortalium.

Cor dulce, Cor amabile,
Amore nostri fervidum,
Amore nostri languidum,
Fac sis mihi placabile.

O Cor amore saucium,
Amore corda saucia:
Vitale nectar caelitum,
Amore nos inebria.

Digitized by Google

Grandi reclusum vulnere
Amor dedit te pervium,
Amor reclusit ostium,
Hortatur et pervadere.

Quos abluisti sanguine,
Venis apertis omnibus,
Nos intimis recessibus,
Semel receptos, contine.

Jesu, Patris Cor unicum,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium. Amen.

℣. Haec requies mea in saeculum saeculi. Alleluja.

℟. Hic habitabo, quoniam elegi eam. Alleluja.

Ad Bened. Ant. Cor Jesu afflictissimum, doloribus et opprobriis amore nostri saturatum, laudamus te, adoramus te, redamamus te, gratias agimus tibi. Alleluja.

Oratio. Domine Jesu.

Ant. In capite.

AD PRIMAM.

℟. *br.* Christe Fili Dei vivi.

℣. Qui natus es de Maria Virgine.

AD TERTIAM.

Ant. Defecit caro mea.

Capit. Sanctificavi.

℟. *br.* Ignem veni mittere in terram. * Alleluja, Alleluja. Ignem.

℣. Et quid volo, nisi ut accendatur. * Alleluja, Alleluja. Gloria Patri. Ignem.

Digitized by Google

℣. In caritate perpetua dilexi te. Alleluja.

℟. Ideo attraxi te miserans. Alleluja.

AD SEXTAM.

Ant. Factum est Cor meum.

Capitulum. Rom. 8.

Quis nos separabit a caritate Christi? Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit me separare a caritate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro.

℟. *br.* In caritate perpetua dilexi te. * Alleluja, Alleluja. In caritate.

℣. Ideo attraxi te miserans. * Alleluja, Alleluja. Gloria. In caritate.

℣. Defecit caro mea et cor meum: Deus cordis mei. Alleluja.

℟. Et pars meo Deus in aeternum. Alleluja.

AD NONAM.

Ant. Veni columba.

Capitulum. Ezech. 36.

Auferam cor lapideum de carne vestra, et dabo vobis cor carneum: et spiritum meum ponam in medio vestri.

℟. *br.* Defecit caro mea et cor meum: Deus cordis mei. * Alleluja, Alleluja.

℣. Et pars mea Deus in aeternum. * Alleluja, Alleluja. Gloria Patri. Defecit.

℣. Haec requies mea in saeculum saeculi. Alleluja.

℟. Hic habitabo, quoniam elegi eam. Alleluja.

Digitized by Google

IN SECUNDIS VESPERIS.

Omnia ut in primis.

℣. Haec requies mea in saeculum saeculi. Alleluja.

℟. Hic habitabo, quoniam elegi eam. Alleluja.

Ad Magnif. Ant. O Victima caritatis, Cor amantissimum Jesu, pro peccatis nostris immolatum, ab ingratis hominibus afflictum ac neglectum: converte nos, vivifica nos, accende nos. Alleluja.

D. Officium Reparationis Injuriarum sanctissimo Altaris Sacramento illatarum. [1])

Duplex II. classis.

IN I. VESPERIS.

Ant. Deducant oculi nostri lacrymas per diem et noctem, et non taceant propter contumelias solii gloriae Domini Dei nostri.

Psalm. 78. Deus, venerunt gentes.

Ant. Confitemini Domino, confitemini quoniam bonus, quia nos, humilitatis nostrae memor, vocare dignatus est ad reparandas solii gloriae suae contumelias.

Psalm. 135. Confitemini Domino.

Ant. Deficiant prae fletu oculi nostri, et palpebrae nostrae defluant aquis; conturbentur viscera nostra; effundatur in terra jecur nostrum super contumeliis solii gloriae Domini Dei nostri.

Psalm. 136. Super flumina Babylonis.

Ant. Filiae Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, quia plurimi sacerdotes polluerunt sanctuaria mea, calce abjecerunt victimas, et munera vestra quae praecepistis, ut offerrentur in templo.

1) Sanctimonialibus O. S. B. adorationis perpetuae a S. R. C. concessum pro fer. V. post Dominic. Sexagesimae. Vide sup. p. 599.

Digitized by Google

Psalm. 139. Eripe me, Domine.

Capitulum Jerem. 9.

Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, et plorabo die ac nocte, quia contritione magna contrita est Sion, plaga pessima vehementer.

℟. *br.* Cibabis nos, Domine, * Pane lacrymarum.

℟. Cibabis.

℣. Et potum dabis nobis in lacrymis. * Pane.

Gloria Patri.

℟. Cibabis.

Hymnus.

Pange, lingua, Salvatoris
Corporis mysterium:
Plange, plange peccatoris
Immane flagitium,
Quo profanum fit amoris
Christi beneficium.

Durum nefas, execrandum,
Lacrymate, populi,
Et plangamus, impudentum
Saevitia pollui
Hoc insigne monumentum
Amoris perpetui.

O Cordis ingrati scelus,
O divina bonitas!
Friget homo, calet Deus;
Abundat iniquitas.
Ubi per te, Jesus meus,
Abundavit caritas.

Digitized by Google

Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui;
Et amoris condimentum
Praebe nostro cultui;
Sisque semper supplementum
Hominum defectui.

Genitori Genitoque
Laus et jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedictio,
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio. Amen.

℣. Vide, Domine, afflictionem nostram.

℟. Et da gloriam nomini sancto tuo.

Ad Magnif. Ant. Si tu sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti eum? an non detulisti eum ad Synagogas satanae, ut ei nefarie illudatur? dicito si eum iterum Judaeis vendidisti, flagellis, pugionibus et igne cruciandum; vel si canibus comedendum objecisti: forte in aliquo sterquilinio, aut in purulento pectoris tui sepulchro jacet inglorius: dicito mihi, ubi posuisti eum, et ego eum tollam, aut saltem plangam dolorem meum super abjectione extrema Christi Dei nostri.

Oratio. Adeuntes cum fiducia, ut sup. p. 600.

AD MATUTINUM.

Invit. Regem gloriae Christum pro nobis et a nobis in altari humiliatum, * Venite, adoremus.

Psalm. Venite, exultemus.

Hymnus.

Sacris solemniis juncta sint gaudia,
Tantis mysteriis juncta suspiria,

Digitize by Google

Quod tot sint crimina, sancta nec omnia,
Corda, voces, et opera.

Panis Angelicus fit panis hominum;
Det panis coelicus peccatis terminum:
O res mirabilis! saevit in Dominum
Pauper, servus et humilis.

Te trina Deitas unaque poscimus,
Sic nos tu visita, sicut te colimus,
Per tuas semitas duc nos, quo tendimus,
Ad lucem, quam inhabitas. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. O nefandum et execrandum facinus, infernus et terra, daemones et homines contra Christum Deum nostrum in opprobrium fidei et religionis conveniunt.

Psalm. 2. Quare fremuerunt gentes.

Ant. Infernus dicit: deglutiamus Christum vivum, et non memoretur nomen ejus amplius inter Christianos.

Psalm. 82. Deus, quis similis erit tibi?

Ant. Homines impii cum inferno fecerunt pactum, ut panem Angelorum ad daemonum infanda conventicula, illorum exponendum ludibriis deferrent.

Psalm. 63. Exaudi, Deus, orationem.

Ant. Judaeis factus est Christus Deus noster scandalum, qui sacram hostiam acubus et subulis pupugerunt, et in mortariolo saepius contuderunt.

Psalm. 73. Ut quid, Deus.

Ant. Sacrosanctam Eucharistiam post varias punctiones posuerunt Judaei in fornace ignis, ubi tamen stupentibus et horrentibus iisdem gentibus illaesa permansit.

Digitized by Google

Psalm. 74. Confitebimur tibi, Deus.

Ant. Factus est Christus Deus noster gentibus et haereticis stultitia, qui stultum credunt, quod Deus ad tantam hujus Sacramenti vilitatem et abjectionem se demiserit.

Psalm. 76. Voce mea.

℣. Vide, Domine, afflictionem nostram.

℟. Quoniam erectus est inimicus.

Lectio 1.

De libro primo Regum.

Cap. 2.

Filii Heli, filii Belial, nescientes Dominum neque officium sacerdotum ad populum, sed quicumque immolasset victimam, veniebat puer sacerdotis, dum coquerentur carnes, et habebat fuscinulam tridentem in manu sua, et mittebat eam in lebetem, vel in caldariam aut in ollam, et omne quod levabat fuscinula, tollebat sacerdos sibi. Erat ergo peccatum puerorum grande nimis coram Domino, quia detrahebant homines a sacrificio Domini.

1. ℟. Fremuerunt gentes, consilium inierunt cum inferno contra Christum Domini, ut exstirparent ab Ecclesia Dei cultum ejus. * Jesus Christus heri et hodie, ipse est in saecula.

℣. Qui habitat in coelis, irridebit eos, et Dominus subsannabit eos. * Jesus.

Lectio 2.

Heli autem erat senex valde, et audivit omnia quae faciebant filii sui universo Israeli, et quomodo dormiebant cum mulieribus, quae observabant ad ostium tabernaculi, et dixit eis: Quare facitis res hujuscemodi, quas ego audio

Digitized by Google

res pessimas ab omni populo? Nolite, filii mei; non enim est bona fama quam ego audio, ut transgredi faciatis populum Domini: si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?

2. ℟. Quum Judaei sacram hostiam a custode Ecclesiae emptam ictibus repetitis pupugissent: * Sanguinem inde effluentem sub terra incassum abscondere conati sunt.

℣. Sanguis ejus clamat de terra ad Patrem. * Sanguinem.

Lectio 3.

Venit autem vir Dei ad Heli, et ait ad eum: Haec dicit Dominus, numquid non aperte revelatus sum domui patris tui, quum essent in Aegypto in domo Pharaonis, et elegi eum ex omnibus tribubus Israel mihi in sacerdotem, ut ascenderet ad altare meum et adoleret mihi incensum, et portaret Ephod coram me, et dedi domui patris tui omnia de sacrificiis filiorum Israel.

3. ℟. Igne examinare voluerunt Judaei Christum Regem nostrum. * Et ab ipsis conjectus in fornacem ardentem, illaesus permansit.

℣. Judaei autem in horrorem tanti facinoris omnes a Christianis trucidati miseri perierunt. * Et ab ipsis.

Lectio 4.

Quare calce abjecistis victimam meam et munera mea, quae praecepi, ut offerrentur in templo, et magis honorasti filios tuos quam me? ut comederitis primitias omnis sacrificii Israel populi mei? Propterea ait Dominus Deus Israel: Loquens locutus sum, ut domus tua et domus Patris tui ministraret in conspectu meo usque in sempiternum. Nunc

Digitized by Google

autem dicit Dominus: absit hoc a me, sed quicumque glorificaverit me, glorificabo eum, qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.

4. ℟. Pulchritudo filiae Sion Ecclesiae decus et ornamentum, sponsus noster, * Speciosus prae filiis hominum factus est in opprobrium Hebraeis et haereticis.

℣. Christus Dominus factus est Judaeis scandalum, gentibus autem stultitia. * Speciosus.

℣. Gloria. * Speciosus.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Wicleffista, jussus divinam adorare Eucharistiam, araneam digniorem esse veneratione quam Eucharistiam, impudens blasphemus exclamat.

Psalm. 35. Dixit injustus.

Ant. Objecta est sacrosancta Eucharistia canibus; at ipsi canes reverentiores, tantam tanti sacramenti injuriam ulciscentes, dilaniaverunt haereticos.

Psalm. 93. Deus ultionum Dominus.

Ant. Si solus inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique; sed et carissimi sacerdotes mei, qui simul mecum dulces capiebant cibos, mensam meam et altare meum profanaverunt.

Psalm. 54. Exaudi, Deus.

Ant. Sacra corporalia pretioso sanguine tincta rubescunt, et erubescunt de sacerdotis sacrificantis incredulitate.

Psalm. 79. Qui regis Israel.

Ant. Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte, dum dicitur quotidie: Ubi est Deus tuus?

Psalm. 41. Quemadmodum desiderat.

Digitized by Google

Ant. Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, salutare vultus mei, et Deus meus.

Psalm. 42. Judica me, Deus.

℣. Nolite dare sanctum canibus.

℟. Ne canes conversi dirumpant vos.

Lectio 5.

Ex sermone sancti Cypriani, Episcopi et Martyris.

(Lib. de lapsis c. 25.)

Praesente ac teste meipso accipite, quid evenerit. Parentes forte fugientes, dum trepidi minus sibi consulunt, sub nutricis alimento parvulam filiam reliquerunt; relictam nutrix detulit ad Magistratus; illi ei apud idolum quo populus confluebat, quod carnem necdum posset edere per aetatem, panem mero mixtum, quod tamen et ipsum de immolatione pereuntium supererat, tradiderunt: recepit filiam postmodum mater. Sed facinus puella commissum tam loqui et indicare non potuit, quam nec intelligere prius potuit nec arcere.

5. ℟. Quis credidit auditui nostro? Deus noster in hostia objectus est canibus: * Ipsi canes injuriam Christo factam vindicati sunt, et impios dilaceraverunt.

℣. Nolite dare sanctum canibus. * Ipsi canes.

Lectio 6.

Ignoratione igitur obreptum est, ut sacrificantibus nobis eam mater inferret; sed enim puella mixta cum sanctis, precis nostrae et orationis impatiens nunc ploratu concuti, nunc mentis aestu coepit fluctuabunda jactari, et velut tortore cogente, quibus poterat indiciis, conscientiam facti in simplicibus adhuc annis rudis anima fatebatur. Ubi vero

Digitized by Google

solemnibus adimpletis calicem diaconus offerre praesentibus coepit, et accipientibus caeteris locus ejus advenit, faciem suam parvula divinae majestatis instinctu avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare.

6. ℟. Propter injuriam filii mei, et ex eo, quod ab ebrio pugno dato insolenter in sacram pyxidem, omnes sanctae hostiae in terram dejectae fuerint, submersa est Frisia. * Et adhuc amplius plagabitur.

℣. Nisi repararetur tanta injuria, et subsecuta fuerit digna poenitentia. * Et adhuc amplius plagabitur.

Lectio 7.

Perstitit tamen Diaconus, et reluctanti licet de sacramento calicis infudit; tunc sequitur singultus et vomitus; in corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit; sanctificatus in Domini sanguine potus de pollutis visceribus erupit. Tanta est potestas Domini, tanta majestas! Secreta tenebrarum sub ejus luce detecta sunt; sacerdotem Dei nec occulta crimina fefellerunt; hoc circa infantem quae ad eloquendum alienum circa se crimen necdum habuit aetatem.

7. ℟. Mulier, quid ploras? Dicit eis: * Quia tulerunt Dominum meum, et nescio, ubi posuerunt eum.

℣. Si tu sustulisti eum, dicito mihi, ubi posuisti eum, et ego eum tollam. * Quia tulerunt.

Lectio 8.

At vero ea, quae aetate provecta et in annis adultioribus constituta sacrificantibus nobis latenter obrepsit, non cibum sed gladium sibi sumens, et velut quaedam venena lethalia inter fauces et pectus sanguinem admittens, angi, et anima exaestuante concludi postmodum coepit; et pressuram non jam persecutionis, sed delicti sui passa, palpitans ac

Digitized by Google

tremens concidit: impunitum diu non fuit, nec occultum dissimulatae conscientiae crimen; quae fefellerat hominem, Deum sensit ultorem.

8. ℟. Quum pergerent et ante se ire fecissent parvulos ac jumenta, et omne quod erat pretiosum, dixerunt ad Micham: * Quid tibi vis? Cur clamas?

℣. Deos meos tulistis, et dicitis, quid tibi est? * Quid tibi vis? Cur clamas? Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. * Quid tibi vis? Cur clamas?

IN III. NOCTURNO.

Ant. Dum jumentum, relicto pabulo, flexo poplite, adorat Eucharistiam; dum agnellus, quoties in missa elevatur hostia, se in genua demittit; dum sacrae hostiae in terram dilapsae apes sacrariolum ex sua cera componunt: veri fideles exultant, infideles et haeretici dolore conficiuntur.

Canticum Jerem. XIV., 17-21. Deducant oculi.

Cant. Thren. V. 1-21. Recordare, Domine.

Cant. Isai. XXXIII. 2-10. Domine, miserere nostri.

℣. Omnis terra adoret te.

℟. Psalmum dicat nomini tuo, Domine.

Lectio 9.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem.

Cap. 6.

In illo tempore dixit Jesus turbis Judaeorum: Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi; si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum. Et reliqua.

De Homilia sancti Joannis Chrysostomi.

(Hom. 83. in Matth.)

Nullus Judas assistat, nullus avarus; nam tales mensa

Digitized by Google

non suscipit; si quis est discipulus, adsit. Ait enim: cum discipulis meis facio Pascha. Haec est illa mensa, et minus nihil habet. Non enim illam quidem Christus, hanc autem homo perficit, verum et hanc ipse quoque. Inhumanus accedat nemo, nemo crudelis et immisericors, nemo prorsus immundus.

9. ℟. Cognovit bos possessorem suum, et asinus praesepe Domini sui; Israel autem me non cognovit, et populus meus non intellexit: * Vae genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis!

℣. Asinus relicto pabulo, profunde Filium Dei in Eucharistia adoravit. * Vae genti.

Lectio 10.

Haec ad communicantes dico, et ad vos ministrantes; nam et ad vos sermonem convertere necessarium est, ut multo cum studio haec dona distribuatis. Non parva vobis imminet ultio: si quem cujuspiam convictum nequitiae hujus mensae participem esse concedatis, sanguis ejus de manibus vestris exquiretur.

10. ℟. Agnus se in genua provolvebat, dum elevaretur hostia inter missarum solemnia, nec surgebat, donec elevatio perfecta esset. * Quo arguatur impiorum insolentia, devotique ad majorem devotionem invitentur.

℣. Benedicite, omnes bestiae et pecora, Christo Domino. * Quo arguatur impiorum.

Lectio 11.

Non parva poena proponitur indigne sumentibus: considera quantum adversus proditorem indignaris, et contra eos, qui illum crucifixerunt; itaque considera, ne tu quoque sis

Digitized by Google

reus corporis et sanguinis Christi. Illi sanctissimum corpus occiderunt, tu vero polluta suscipis anima post tot beneficia: neque enim illi satis fuit hominem fieri, colaphis caedi et crucifigi; verum et seipsum nobis commiscet, et non fide tantum, verum et ipsa re nos suum efficit corpus.

11.. ℟. Quum sacram hostiam cum sua parva pyxide sacerdos in terram cadens perdidisset; * Apes agminatim occurrentes illi sacrarium ex sua cera miro artificio fabricarunt.

℣. Homo quum sit in honore, non intelligit; bestiae agnoscunt sub sacramento creatorem suum. * Apes.

Lectio 12.

Cogita, quali sis insignitus honore, quali mensa fruaris: quod Angeli videntes horrescunt, neque libere audent intueri propter emicantem inde splendorem, hoc nos pascimur, huic nos unimur, et facti sumus unum Christi corpus et una caro. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus? Quis pastor oves proprio pascit cruore?

12. ℟. In nomine Jesu omne genu flectatur, coelestium, terrestrium, et infernorum. * Omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.

℣. Exinanivit semetipsum Dominus Jesus Christus in altari, in similitudinem panis et vini factus. * Omnis lingua. Gloria Patri. * Omnis lingua.

Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem.

C. 6.

In illo tempore dixit Jesus turbis Judaeorum: Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum; et panis, quem ego

Digitized by Google

dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo Judaei ad invicem dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis, nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis: qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam; et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus; qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo.

Oratio. Adeuntes, *ut supra p. 600.*

AD LAUDES ET PER HORAS.

Ant. Memoria memor ero opprobriorum, quae Christus Deus noster momentis singulis in divina patitur Eucharistia, et tabescet in me anima mea.

Psalm. 56. Miserere mei, Deus.

Ant. Exitus aquarum deduxerunt oculi nostri, quia non est, qui recogitet super humiliationibus Christi Dei nostri in altari.

Psalm. 87. Domine Deus salutis meae.

Ant. Descendite, accurrite, volate, Angeli sancti, adorate in altari illum ipsum, in quem desideratis prospicere in coelo.

Psalm. 64. Te decet hymnus.

Ant. Sacrae Christi Dei nostri sacramentati victimae, Christum humiliatum et exinanitum propter vos in Eucharistia, benedicite in aeternum.

Cant. Benedicite omnia opera Domini Domino.

Ant. Coelum, terra, infernus genuflectant: adorent

Digitized by Google

Angeli, homines et daemones, inenarrabiles abjectiones Christi Dei nostri.

Psalm. Laudate Dominum de coelis.

Capitulum. Philipp. 2.

In nomine Jesu omne genu flectatur coelestium, terrestrium et infernorum, et omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris.

℟. *br.* Vide, Domine. * Afflictionem nostram.

℟. Vide Domine.

℣. Quoniam erectus est inimicus. * Afflictionem. Gloria Patri. Vide.

Hymnus.

Verbum supernum prodiens,
In cor ex ara saliens,
Mactatum orbi subvenis,
Salutem praebens miseris.

O salutaris Hostia!
Quae mundi purgas scelera,
Concede reis gratiam
Piisque dona gloriam.

Uni trinoque Domino
Sit sempiterna gloria;
Qui vitam sine termino
Nobis donet in patria. Amen.

℣. Separavit vos Deus ab omni populo, et junxit sibi.

℟. Ut serviretis ei in cultu tabernaculi.

Ad Benedic. Ant. Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, et plorabo die ac nocte

Digitized by Google

sacrilegia impiorum: confortati sunt in terra, quia de malo ad malum egressi sunt, et me non cognoverunt, dicit Dominus; abjectum infra hominem, sub specie panis pro ipsis, et propter ipsos dejectum et absconditum me non agnoverunt.

AD TERTIAM.

Ant. Exitus aquarum.

Capitulum. Isaiae 53.

Non est species ei neque decor; et vidimus eum, et non erat aspectus: et desideravimus eum despectum et novissimum virorum.

℣. Vide, Domine, afflictionem nostram.

℟. Quoniam erectus est inimicus.

AD SEXTAM.

Ant. Descendite.

Capitulum. Joann. 20.

Mulier, quid ploras? Dixit eis: Quia tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum.

℣. Nolite dare sanctum canibus.

℟. Ne canes conversi dirumpant vos.

AD NONAM.

Ant. Coelum, terra.

Capitulum. Isaiae 45.

Tantum in te est Deus, et non est Deus absque te; vere tu es Deus absconditus, Deus Israel Salvator.

℣. Omnis terra adoret te et psallat tibi.

℟. Psalmum dicat nomini tuo, Domine.

In II. Vesperis omnia ut in I. praeter ultim. psalm.,

Digitized by Google

cujus loco dicitur psalm. 140. Domine clamavi. *et Antiph. ad Magnif.* Ecce sancta nostra, victimae Domini Dei nostri, Agnus Dei, qui tollit peccata mundi, manna absconditum, vinum germinans virgines, in contemptum et blasphemiam', in omne dedecus et opprobrium venerunt. Ecce pulchritudo nostra, ecce claritas nostra desolata est; quo ergo nobis adhuc vivere? Propterea venite lamentatrices, properate, festinate, et assumite lamentum; hic est enim verus Deus et vita aeterna.

E. Officium in festo vitae interioris D. N. J. Ch. [1])

AD I. VESPERAS.

Psalm. Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica; et loco ultimi.* Ps. Laudate Dominum, omnes Gentes.

1. Ant. Verbum caro factum est, et habitavit in nobis; et vidimus gloriam ejus, alleluja.

2. Vita aeterna quae erat apud Patrem, per ipsum et in ipso apparuit nobis, alleluja.

3. Qui videt me, videt et Patrem. Ego et Pater unum sumus, alleluja.

4. Nihil facio, nisi videro Patrem facientem; et quae placita sunt ei, facio semper, alleluja.

5. Pater autem in me manens, ipse facit opera, alleluja.

Capitulum. Coloss. 1.

In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter: et estis in illo repleti, qui est caput omnis Principatus et Potestatis.

---

1) Ex Proprio Seminarii S. Sulpicii. Vide sup. p. 611.

Digitized by Google

Hymnus.

Non tingat aras jam pecudum cruor;
En immolatur dignior hostia:
Flammis adustum cor supernis
Ecce Deo Deus ipse libat.

Unctus perenni chrismate Pontifex
Ad sancta templi nos vocat intima:
Quid thura legis? thure pectus
Pontificis meliore fumat.

Agnum sub ara perpetuis sacri
Fornax amoris conficit ignibus;
Una litandum caede Natum
Jugis amor sine caede mactat.

Tu par Parenti, quae Pater imperat
Promptus statuto tempore perficis:
Descripta vivit lex paterna
In tabulis animata cordis.

Se deprimentis conscia Numinis,
Mens haeret alto muta silentio:
Quam magna tractas! quam potenti
Voce, Deus, loqueris silendo!

Laus summa Patri, summaque Filio:
Sit summa sancto gloria Flamini;
Tu fac adurat dedicatum,
Christe, tibi tua flamma pectus.
Amen.

℣. In pace in idipsum, alleluja.
℟. Dormiam et requiescam, alleluja.

Digitized by Google

Ad Magnif. Ant. In Christo Deus ostendit divitias gloriae suae, ac magnitudinem potentiae suae; in ipso enim habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter, alleluja.

Oratio. Deus, qui omnes thesauros sapientiae et scientiae, ac vitae tuae plenitudinem posuisti in Filio tuo; concede, quaesumus, sic Interiorum illorum illustrari splendoribus et sanctitate penetrari, ut totaliter intus reformati, tibi similes esse mereamur. Per eumdem.

Ad Completorium, et ad Horas, in fine Hymnorum, dicitur Doxologia:

Jesu, tibi sit gloria,
Qui, plenus omni gratia,
Vivis cum Patre et Spiritu
In sempiterna saecula.
Amen.

AD MATUTINUM.

Invit. Immensitatem Interiorum Christi veneremur; * Spiritum sanctum qui fecit ea, venite, adoremus, alleluja.

Psalm. Venite, exultemus.

Hymnus.

O quam digna coli cantibus aemulis,
Quae Christi latitant corde sub intimo!
Patris progenies, Christus, homo Deus,
Quantis dignus honoribus!

Templum tu, Genitor, pectoris intima
Praesens ipse tuo numine consecras;
Tu votis, Genitus, supplicibus Patrem
Cultu non colis impari.

Digitized by Google

Templum perpetuis laudibus insonat:
Templum perpetuis fragrat odoribus;
Hic mens pura Deo munera devovet,
Dignas mens litat hostias.

In Christo quot opes, dona scientiae
Quot praecelsa Pater prodigus abdidit!
O quam dives adest in penetralibus
Thesaurus sapientiae!

Ardens interius qui sacer artifex
Tantum finxit opus, Spiritus insidet:
Perlustrans operis grande decus sui,
Mirum quam sibi complacet!

Quae Christi cumulas alta sacraria
Tantis divitiis, laus tibi, Trinitas:
Fac nos, Christe, tuis Interioribus
Donis perpetuo frui.

Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Descendi de coelo non ut faciam voluntatem meam, sed ejus qui misit me Patris, alleluja.

[*Extra Tempus Paschale.*

Ant. Discite a me, quia mitis sum et humilis corde: Filius enim hominis non venit ministrari, sed ministrare.

Ant. Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me; et ego quae audivi ab eo, haec loquor in mundo.]

Psalm. Domine Dominus noster, *ut in Festis B. M. V.*

Psalm. 26. Dominus illuminatio mea.

Psalm. Domini est terra, *ut in Festis B. M. V.*

Digitized by Google

℣. Pater, non mea, sed tua fiat voluntas, alleluja.

℟. Non sicut ego volo, sed sicut tu, alleluja.

Lectio 1.

De Epistola beati Pauli Apostoli ad Colossenses.

Cap. 1.

Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, et Timotheus frater, iis qui sunt Colossis, Sanctis, et fidelibus fratribus in Christo Jesu: Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo. Gratias agimus Deo et Patri Domini nostri Jesu Christi, qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum et transtulit in regnum Filii dilectionis suae, in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum: qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae: quoniam in ipso condita sunt universa in coelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates; omnia per ipsum et in ipso creata sunt; et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant.

℟. Mirabiles elationes Interiorum Christi: * Magnificus, sanctus et mirabilis in eis Deus, alleluja, alleluja.

℣. Qui in Interioribus Filii sui omnis consummationis posuit finem, et Interiora ejus lata fecit nimis. * Magnificus.

Lectio 2.

Et ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primatum tenens; quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem ejus, sive quae in terris, sive quae in coelis sunt. In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scien-

Digitized by Google

tiae absconditi. Sicut ergo accepistis Jesum Christum Dominum, in ipso ambulate, radicati et superaedificati in ipso, et confirmati fide, sicut et didicistis, abundantes in illo in gratiarum actione.

℟. Concupivit anima mea Interiora Domini. * In quibus posuit Deus omnium gratiarum et thesaurorum abyssos, alleluja, alleluja.

℣. Deduc nos in ea, ut hymnum cantemus de canticis Sion, et personemus canticum Domini. * In quibus.

Lectio 3.

In quo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Et estis in illo repleti, qui est caput omnis principatus et potestatis: in quo et circumcisi estis circumcisione non manufacta in expoliatione corporis carnis, sed in circumcisione Christi, consepulti ei in baptismo, in quo et resurrexistis per fidem operationis Dei, qui suscitavit illum a mortuis.

℟. Surgamus et eamus ad Interiora Domini. * Et spiritu commoremur in eis, alleluja, alleluja.

℣. Ut per illa vita Dei nutriamur, et crescamus in illa per omnia, ad gloriam Dei. * Et spiritu. Gloria Patri. * Et spiritu.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Talis decebat * ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et excelsior coelis factus, alleluja.

[*Extra Tempus Paschale.*

Ant. Pater juste, * mundus te non cognovit. Ego autem te cognovi, et notum feci nomen tuum, et notum faciam.

Digitized by Google

Ant. Renuit consolari * anima mea nisi in te, Pater Deus meus: memor fui tui, et delectatus sum.]

Psalm. 83. Quam dilecta.

℣. Ego sum vermis, et non homo, alleluja.

℟. Opprobrium hominum et abjectio plebis, alleluja.

Lectio 4.

Sermo sancti Bernardi Abbatis.

(Ex Serm. in vitam et passionem Domini, n. 19—20 [inter dubia].)

Benedic, anima mea, Deum salvatorem meum, et magnifica nomen ejus. Sanctum est enim, et sanctissimis deliciis plenum. O quam bonus, quam suavis es, Domine Jesu, animae quaerenti te! Jesu redemptor perditorum, salvator redemptorum, spes exulum, fortitudo laborantium, anxiati spiritus latitudo, animae lacrymosae et post te currentis in sudore solatium et suave refrigerium.

℟. Vacate et videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram * In Christo Jesu, alleluja, alleluja.

℣. In quo posuit omnes thesauros sapientiae et scientiae suae, in quo explicavit immensitatem bonitatis suae. * In Christo Jesu.

Lectio 5.

O aeternum, substantiale et inaccessibile, clarum et dulce profluvium fontis absconditi ab oculis omnium mortalium, cujus unda sine ortu, cujus profundum sine fundo, cujus altum sine termino, cujus amplitudo incircumscrutabilis, cujus puritas imperturbabilis. Eructavit te Cor Dei altissimi, de sua impenetrabili abysso, vita vitam, lux lucem, aeternus aeternum, immensus immensum et per omnia sibi coaequalem; et de plenitudine tua nos omnes accepimus.

Digitized by Google

℟. O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei * In Christo Jesu, alleluja, alleluja.

℣. Venite, adoremus terminum immensitatis amoris De et potentiae ejus. * In Christo Jesu.

Lectio 6.

(In Cant. Serm. 45.)

Quam pulcher es Angelis tuis, Domine Jesu, in forma Dei, in die aeternitatis tuae, in splendoribus sanctorum ante Luciferum genitus, splendor et figura substantiae Patris, et quidem perpetuus minimeque fucatus candor vitae aeternae! Quam mihi decorus es, Domine mi, in ipsa tui hujus positione decoris! Etenim ubi te exinanivisti, ubi naturalibus radiis lumen indeficiens exuisti, ibi pietas magis emicuit, ibi caritas plus effulsit, ibi amplius gratia radiavit. Quomodo non pro his omnibus omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tui?

℟. Introduc nos, Dilecte mi, in hortum tuum, ut comedamus fructum pomorum ejus, * Et fluant in nos aromata illius, alleluja, alleluja.

℣. Dic nobis: Comedite favum cum melle meo, bibite vinum cum lacte meo: * Et fluant. Gloria Patri. * Et fluant.

IN III. NOCTURNO.

Tres Psalmi ut in Festis B. M. V.

Ant. Diligam te, * Domine, fortitudo mea: et glorificabo nomen tuum in aeternum, alleluja.

[*Extra Tempus Paschale.*

Ant. In te projectus * sum ex utero: de ventre matris meae Deus meus et Pater meus es tu.

Digitized by Google

Ant. Gloriam meam * non quaero, sed ejus qui misit me Patris.]

℣. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, alleluja.

℟. Ita desiderat anima mea ad te, Deus, alleluja.

Lectio 7.

Lectio sancti Evangelii secundum Joannem. C. 14.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Ego sum via, et veritas, et vita. Nemo venit ad Patrem, nisi per me. Si cognovissetis me, et Patrem meum utique cognovissetis. Et reliqua.

Homilia sancti Cyrilli Episcopi Alexandrini. *(Ex lib. I. in Joan. Cap. 20.)*

De plenitudine ejus nos omnes accepimus: quibus verbis approbare, verum esse Joannis testimonium, Evangelista videtur. Clare namque demonstrat, non Baptista solum, sed omni creatura substantialiter superiorem, tam gloria de qua modo sermo est, quam aliorum bonorum numero. Rectissime, inquit, de Unigenito a Joanne dictum est: Quia prior me erat, id est, multo sublimior atque gloriosior. Nam et omnes nos, qui Sanctorum locum possidemus, propriis ipsius bonis locupletati sumus, et natura humana illius bonis magis quam suis gaudet. De plenitudine namque Filii quasi jugi fonte gratiarum donum scaturiens, in singulas animas, quae dignae sunt, defluit.

℟. Quis mihi det, te amplecti in Interioribus tuis: * Ne vagari incipiam post greges saeculi hujus, alleluja, alleluja?

℣. Ibi me duces ad Patrem: ibi me docebis secreta Cordis tui. * Ne vagari.

Digitized by Google

Lectio 8.

Si ergo quasi a naturali plenitudine Filius dona largitur, creatura vero est cui largitur, quomodo non dissimilem aliis gloriam possidebit? Eam videlicet quae unigenitum Dei Filium decet, qui naturae propriae fructum habet omnem dignitatem atque praestantiam quam Pater habere intelligitur. Hac de re sapientissimum quoque Paulum commotum ad creaturam dixisse arbitror: Quid enim habes, quod non accepisti? Non enim esse solum, sed etiam bene esse, et sic aut sic esse a Deo creaturis conceditur; quae, quum nihil a seipsis habeant, sola liberalitate largientis ditantur.

℟. Quam dilecta Interiora tua, Domine virtutum! * Concupiscit et deficit anima mea in atriis eorum, alleluja, alleluja.

℣. Expectantes sub umbra illorum sedimus: beati qui habitant in eis, in saecula saeculorum laudabunt te. * Concupiscit. Gloria Patri. * Concupiscit.

Si non sit Dominica

Lectio 9.

Illud etiam non praetermittendum, quia plenum, id est, perfectum in omnibus Filium esse affirmans, tantum abesse ne cujus rei egeat ostendit, ut omnibus unquam ipse deficiens abunde largiatur, et tamen plenitudinem suam eamdem atque immutatam semper conservet.

Te Deum.

AD LAUDES ET PER HORAS.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliquis de Dominica.*

1. Ant. Dominus dixit * ad me: Filius meus es tu; ego hodie genui te, alleluja.

Digitized by Google

2. Dixi Domino: * Deus meus es tu: ego servus tuus et filius ancillae tuae, alleluja.

3. Deus meus, * volui, et legem tuam in medio cordis mei, alleluja.

4. Paratum * cor meum, Deus, paratum cor meum, ut faciam omnem voluntatem tuam, alleluja.

5. Pater juste, * Pater sancte, Deus cordis mei, pars mea Deus in aeternum, alleluja.

Capitulum. Coloss. 1.

In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter; et estis in illo repleti, qui est caput omnis Principatus et Potestatis.

Hymnus.

Adoremus triumphantem
In Beatis Dominum:
Honoremus militantem
In justis Altissimum,
In afflictis patientem
Dei Unigenitum.

Omnimoda plenitudo
In coelis fruentium:
Vastissima solitudo
Amore viventium:
Plenissima latitudo
In poenis languentium.

Immensitas explicata
Caritatis Spiritus:
Patris et lac et mamilla,
Pinguis animae cibus;
Cristianorum piscina,
Salutaris omnibus.

Digitized by Google

Religionis Sanctorum
Instrumentum unicum:
Abyssusque gaudiorum,
Justorum solatium:
Vera merces Beatorum,
Complementum omnium.

Christianis praeparatus
Salomonis lectulus,
Ubi noster fatigatus
A labore spiritus,
Requiescit segregatus
A mundi tumultibus.

Tanta Christi Interiora
Adoremus cernui:
Ad ejus profundiora
Suspiremus fervidi:
Haec mundo sublimiora
Praedicemus servuli.

Gloria sit Deo Patri,
Qui vivit in Filio:
Et aeterna Deo Proli
Gratiarum actio;
Ab utroque procedenti
Laus et jubilatio. Amen.

℣. Domine, ad quem ibimus? alleluja.

℟. Verba vitae aeternae habes, alleluja.

Ad Benedictus Ant. Ego te clarificavi * super terram, opus consummavi quod dedisti mihi. Et nunc clarifica me, Pater, apud temetipsum, alleluja.

Digitized by Google

Oratio. Ut supra.

AD PRIMAM.

In ℟. *br.*

℣. Qui plenus es omni gratia.

Et sic per Octavam.

AD TERTIAM.

Ant. Dixi Domino.

Capit. In ipso, *ut supra ad Laudes.*

℟. *br.* Verbum * Caro factum est. * Alleluja, alleluja. Verbum.

℣. Et habitavit in nobis. * Alleluja, alleluja. Gloria Patri. Verbum.

℣. Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre, alleluja.

℟. Plenum gratiae et veritatis, alleluja.

AD SEXTAM.

Ant. Deus meus.

Capitulum. Coloss. 1.

Ille est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae; quoniam in ipso condita sunt universa in coelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates.

℟. *br.* Vidimus gloriam ejus, * Gloriam quasi Unigeniti a Patre. * Alleluja, alleluja. Vidimus.

℣. Plenum gratiae et veritatis. * Alleluja, alleluja. Gloria Patri. Vidimus.

℣. In ipso sunt omnes thesauri, alleluja.

℟. Sapientiae et scientiae Dei, alleluja.

Digitized by Google

AD NONAM.

Ant. Pater juste.

Capitulum. Coloss. 1.

Omnia per ipsum et in ipso creata sunt; et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant. Et ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis; ut sit in omnibus ipse primatum tenens.

℟. *br.* In ipso sunt * Omnes thesauri. * Alleluja, alleluja. In ipso.

℣. Sapientiae et scientiae Dei. * Alleluja. Gloria Patri. In ipso.

℣. Hic est Filius meus dilectus, alleluja.

℟. In quo mihi bene complacui, alleluja.

AD II. VESPERAS.

Ps. Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica, et loco ultimi dicitur Ps.* Laudate Dominum, omnes gentes, *ut in I. Vesperis.*

1. Ant. Hic est Filius * meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite, alleluja.

2. In ipo sunt * omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei absconditi, alleluja.

3. Candor est * lucis aeternae, speculum sine macula, et imago bonitatis illius, alleluja.

4. Sicut Pater * habet vitam in semetipso; sic dedit et Filio habere vitam in semetipso: ut omnes per eum vitam habeant et abundantius habeant, alleluja.

5. Tu solus Sanctus, * tu solus Dominus, tu solus Altissimus, Jesu Christe, cum sancto Spiritu, in gloria Dei Patris, alleluja.

Digitized by Google

Capitulum. Coloss. 1.

In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter; et estis in illo repleti, qui est caput omnis Principatus et Potestatis.

Hymnus.

Christe, fons jugis salientis undae,
Pectoris sacros aperi recessus,
Ut Deo plenos bibat ore puro spiritus amnes.

Hic latens blando placidus sopore,
Noxio mundi procul a tumulto,
Ebrius largo jacet affluentis Numinis haustu.

Igneis pectus jaculis feritur;
Vulnus infligit Deus ipse telum:
Laedit et sanat ferientis idem
Ictus amoris.

Ardor hinc crescit, prius hinc amata
Mens amat Christum, redamante Christo:
Aemulum pectus nimis aestuanti
Solvitur igne.

Christe, quo ferves, cremer intus aestu;
Corda fac zelus bene doctus urat;
Qui tuos rexit, regat ille nostros
Spiritus actus.

Cordis in sacris latebris sepulta
Mens sibi sancte moritura vivat:
Vana dediscens, tibi, Christe, fida
Serviat uni.

Digitized by Google

Qui pari sese redamant amore,
Summa laus Patri, Genitoque summa;
Laus tibi compar, utriusque sanctum
Flamen amoris. Amen.

℣. Cor meum et caro mea, alleluja.

℟. Exultaverunt in Deum vivum, alleluja.

Ad Magnif. Ant. Requiescet * super eum Spiritus Domini: Spiritus sapientiae et intellectus, Spiritus consilii et fortitudinis, Spiritus scientiae et pietatis; et replebit eum Spiritus timoris Domini, alleluja.

F. Lectiones pro Octava SS. Cordis Jesu a Rmis. Eppis. Americanis Sedi Apostolicae prò obtinenda approbatione oblatae.[1])

IN I. NOCTURNO.

Lectiones de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio 4.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

(Sermo 148. de quatuor fontibus Salvatoris.)

Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Pro paradiso quem perdidimus, restitutus est nobis Christus Salvator. Sicut ergo de uno fonte paradisi derivantur quatuor flumina ad irrigandum paradisum; ita et de pectoris ejus arcano procedunt quatuor fontes, ex quibus hauriuntur quatuor aquarum genera, unde tota per universum mundum rigatur Ecclesia. Sunt autem quatuor fontes veritas, sapientia, virtus et gratia. Ex his ergo fontibus hauriuntur aquae,

1) Vide supra p. 211.

Digitized by Google

ex singulis scilicet singulae. Nam de fonte veritatis sumuntur aquae judiciorum; de fonte sapientiae aquae consiliorum; de fonte virtutis aquae praesidiorum; de fonte caritatis aquae desideriorum.

℟. Qui manducat.

Lectio 5.

Ex eodem Divo Bernardo.

(Sermo 61. in Cantic. Cantic.)

Ego vero fidenter, quod ex me mihi deest, usurpo mihi ex visceribus Domini, quoniam misericordia affluunt; nec desunt foramina, per quae effluant. Foderunt manus ejus et pedes, latusque lancea foraverunt: et per has rimas licet mihi sugere mel de petra, oleumque de saxo durissimo; id est, gustare et videre, quoniam suavis est Dominus. Cogitabat cogitationes pacis, et ego nesciebam. Quis enim cognovit sensum Domini? aut quis consiliarius ejus fuit? At clavis reserans clavus penetrans factus est mihi, ut videam voluptatem Domini. Quidni videam per foramina? Clamat vulnus, quod vere Deus sit in Christo mundum reconcilians sibi.

℟. Sicut ovis.

Lectio 6.

Ferrum pertransiit animam ejus et appropinquavit Cor illius, ut non jam non sciat compati infirmitatibus meis. Patet arcanum Cordis per foramina corporis; patet magnum illud pietatis sacramentum; patent viscera misericordiae Dei nostri, in quibus visitavit nos oriens ex alto. Quidni viscera per vulnera pateant? In quo enim clarius quam in vulneribus tuis eluxisset, quod tu, Domine, suavis et mitis et multae misericordiae? Majorem enim miserationem nemo habet,

Digitized by Google

quam ut animam suam ponat quis pro addictis morti et damnatis.

℟. Magnus Dominus.

IN III. NOCTURNO.

Lectio 7.

Lectio Sancti Evangelii secundum Joannem. C. 19.

In illo tempore: Judaei, quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora Sabbato (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura et tollerentur. Et reliqua.

Homilia Sancti Athanasii Episcopi.

(Homil. in Pass. et crucem Domini N. 25.)

Judaeis auctor fuerat (diabolus) ut ad necem Jesum postularent: resque illi praeter spem accidit. Non in alia quippe parte, quam in latere confossus est, unde sanguis et aqua manavit; ut quoniam prius per mulierem ex latere formatam venerat deceptio; ita per latus secundi Adami redemptio et emundatio prioris efficeretur; redemptio per sanguinem, emundatio per aquam. Hoc autem nequaquam ex sententia diabolo accidit; quum ratus se Christum in morte tenere, ipse potius mortuus esse deprehensus est; atque gloriatus, quod homini insidiatus esset, id effecit, ut Deus agnosceretur.

℟. Misit me.

Lectio 8.

De homilia Sancti Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi.

(Ex Serm. de Pass. Dom. et med. de Hum. Xti.)

O pietas Cordis! O bone Jesu! O pie Jesu! quid tri-

Digitized by Google

buam tibi, quid sustinebo pro te qui tot et tanta sustinuisti pro me? Totum te dedisti pro me et operasti totum in me; emisti tibi spiritum meum, emisti tibi corpus meum, utrumque servum tuum. Tuus ergo sum spiritu et corpore; utrumque debeo tibi impendere. Diligam te ergo ex toto corde meo, serviam tibi ex toto corpore. Apertum est lancea latus tuum, aperiam per confessionem cor meum, ut fatear vulnus meum.

℟. Recessit Pastor noster.

Lectio 9.

O bone Domine, gaudebo an dolebo de morte tua? Sane utrumque faciam; gaudebo siquidem de gratia tradentis et de caritate morientis; sed prius dolebo de causa mortis, id est, de conscientia peccati, et condolebo morienti. Si non gaudeo, ingratus sum; si non doleo, crudelis sum: sed quia tempus est flendi antequam ridendi, ambulo tristis demisso capite, et assimilabor passioni tuae. Ferrum igitur passionis tuae pertranseat animam meam, et crux tua suspendat concupiscentiam meam. Vulneret cor meum vivus et efficax sermo tuus penetrabilior omni lancea acutissima, et pertingens usque ad interiora animae meae producat ex ea, tamquam a dextro latere meo, vice sanguinis et aquae, amorem tuum et fratrum meorum.

Te Deum laudamus.

Digitized by Google

CAPUT II.

VARIA PIETATIS EXERCITIA ROMANIS JUDICIBUS PROBATA.

§. I.

Ex opere P. Gallifet.

Exercitium laudis et adorationis ad Cor Jesu.

O Cor Jesu divinissimum, hominum atque Angelorum adoratione dignissimum! Tu, aeterno Verbo indissolubili nexu conjunctum. Tu, summi Dei verum Cor: ipso Deo dignum: Dei sanctitate sanctum. Divinae bonitatis, caritatis, misericordiae vere particeps: cujus omnes affectiones et sensus infinitae Dei majestati condignas esse necesse est. O Cor ineffabile ac vere incomprehensibile, infinitis laudibus infinitisque obsequiis merito prosequendum! Tu, virtutum omnium origo. Tu, donis omnibus coelestibus cumulatissime ditatum. Tu, bonorum omnium fons inexhaustus. Tu, aeternae et increatae caritatis dignissima sedes. Tu, sola victima divinae justitiae digna: irae divinae placandae sola potens ac sufficiens. Tu, unum amore divinae bonitatis ipsius digno arsisti: in te uno demum sanctissima Trinitas super omnia sibi complacuit. Tu, ecclesiae necessitatibus mira dispensatione providens, caritate multorum refrigescente, eam hoc tanto munere ditare voluisti, ut amoris thesauros in te reconditos in eos, qui se tibi devovere vellent, effunderes. O me fortunatum! quem tua licet indignum misericordia, harum tamen divitiarum participem esse voluisti: cognitionem tuorum mirabilium infundendo, meque ad cultum tuum alliciendo. Ad te igitur supplex accedo, o Cor millies adorandum! Tu me, justissimum laudis et adora-

Digitized by Google

tionis tributum tibi debitum deferre conantem adjuva: atque in devotorum tuorum numerum adscribi ardenter cupientem admitte. Ecce infinitam tuam dignitatem et excellentiam pronus agnosco. Te, quam possum, demississime veneror et prostratus adoro. Verum, quum plane sentiam, te vilibus affectionibus meis pro dignitate honorari neutiquam posse, ut impotentiae meae quoquo modo, et quoad licet, suppleam, laudes et honores tibi ab omnibus Angelis et sanctis in Coelo delatos offero. Majus etiam aliquid ac te dignius deferre audeo: videlicet Cor immaculatum Mariae, quod unum ad te colendum prae omnibus caeteris aptissimum est. Affectiones ergo meas omnes hujus sanctissimi Cordis affectionibus conjungo: hocque fretus adjutorio ac societate me tibi totum offero, meaque omnia tuae gloriae penitus consecro. Tu vota clemens exaudi, ac perfice. Amen.

Exercitium amoris ad Cor Jesu.

O Cor amantissimum Jesu, adorandis Filii Dei perfectionibus amabilissimas Filii hominis perfectiones ineffabili modo conjungens! Tu, cordium omnium nobilissimum, generosissimum, latissimum, liberalissimum, magnificentissimum; simulque mitissimum, humillimum, purissimum, innocentissimum, patientissimum, misericordia exuberantissimum, denique ardentissima erga homines caritate plenissimum. Tu, Cor Redemptoris nostri, Amici nostri, Fratris nostri, Patris nostri, Sponsi animarum nostrarum. Tu, immaculatae Virginis, Matris nostrae, purissimo sanguine formatum. Tu, principium vitae humanae amantissimi Servatoris. Tu, causa et origo pretiosi illius Sanguinis, quo redempti sumus. Tu, verus nostrum omnium amator, justos simul et peccatores ineffabili caritate complectens, fons perennis misericordiae. Tu, amore nostri, grandi vulnere lancea sauciatum. Tu, re-

Digitized by Google

fugium animarum sanctarum. Tu, grata columbae requies. Tu peccatorum nostrorum innocens victima, Dei justitiae pro nostra salute immensis doloribus immolata. Ecquae igitur res existere potest amore nostro ac gratiis te dignius? Accipe ergo, o Cor sanctissimum, suavissimum, dulcissimum, amabilissimum, accipe, quos offero, intimos cordis mei sensus, eosque te dignos effice. Tibi gratias immensas ago pro tua in me et in omnes homines dilectione, innumerisque in nos collatis beneficiis. Me tibi arctissime conjungo: te toto cordis affectu, tenerrimoque praecordiorum sensu complector et amo. Me tibi totum devoveo, meaque omnia tibi committo. Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio, tibi amor, tibi imperium cordium in aeternum. Amen.

Invocatio ad Cor Jesu.

O Cor Jesu, cordium omnium dominator legitime, imo et unice! Tu corda nostra tuae illi tam justae dominationi penitus subjice, ac jure tuo tota posside. Ingrata etiam atque rebellia clementer et potenter tibi servire compelle. Imperium illud tuum sanctissimum, aequissimum, suavissimum in ea constanter exerce. Fac, ut in rebus omnibus voluntati tuae subjecta, a te nusquam ac nullatenus discrepent. Obsecro etiam te, o Cor sanctissimum, cordium omnium exemplar perfectissimum, ut corda nostra tibi similia humilitate, mansuetudine, patientia, caritate, reddere digneris. Tu terrestres, quibus premuntur, cupiditates coelestibus tuis affectionibus reprime, expelle, exstingue: nutantia confirma: egentia dita: ad res infimas prona erige: inclinata subleva: dura emolli: immunda purifica: frigida igne illo, quo ardes, inflamma: imperfecta eorum benigne perfice: demum talia redde, ut te amare, te colere, te imitari valeant, et in aeternum te possideant. Amen.

Digitized by Google

Pro injuriis Cordi Jesu inflictis voluntaria expiatio ad Cor Jesu.

O Cor Jesu, amore hominum ardentissimum, simulque ob spretum amorem tuum afflictissimum! Nihil a te olim, dum in terris ageres, praetermissum est, viribus etiam exhaustis penitus atque consumptis, quo hunc tuum immensum amorem certissimis ac stupendis signis testatum relinqueres: neque tamen tibi tunc temporis quidquam ab ingratis hominibus praeter injurias repensum est. Tu eodem in nos amore etiamnum in Eucharistia flagras: non ignotum, ut olim, sed plane cognitum, nobisque vicinum ac proximum, nec propterea humanius in hoc mysterio a multis amori tuo respondetur. Quae tuae ergo cogitationes esse debent, qui sensus, quum hos homines, a quibus omnia reverentiae et amoris argumenta exspectare jure tuo debebas; in tantum se tibi reverentes ac gratos non exhibere cernis, ut etiam injuriis contumeliisque te in hoc amoris sacramento quotidie lacessant? His ego injuriis et contumeliis vehementer commotus, tibi amantissimo et afflictissimo Cordi supplex accido, veniamque submississime precor. Ingrati animi vitium, quo memetipsum reum agnosco, injuriasque amori tuo a memetipso inflictas detestor et abominor. Aliorum quoque hominum peccata ac sacrilegia in te commissa odi, et exsecror. Violatum honorem tuum hac mea submissione ac voluntaria expiatione, quoad licet, resarcire cupio. Utinam et lacrymis et sanguine omnia in te perpetrata eluere et abolere penitus possem! Utinam novo quodam et inusitato honoris ac submissionis genere, tot irreverentias, convitia, sacrilegia compensare liceret! O quam praeclare mecum agi putarem, si tam justa de causa vitam profundere possem! Veniam igitur, o Cor Jesu dulcissimum, mihi propitius indulge pro-

Digitized by Google

positumque animo conceptum gratia tua confirma: fixum namque ratumque est, viribus omnibus eniti, ut nulla ex parte honori tibi debito in posterum desim: firmum est, irreverentias pristinas, summa reverentia: negligentiam, diligentia: oblivionem tui, frequenti memoria compensare: denique nihil omittere, quod ad amorem meum gratumque animum testificandum, abolendaque priora peccata conducere arbitrabor. Hoc statuo, hoc firmissime decerno, gratiaque tua adjutus me effecturum confido. Amen.

Exercitium oblationis sui suarumque rerum.

Pater Claud. de la Colombière hujus Exercitii auctor est, in quo nihil immutandum censuimus. Porro oblationis causas in hunc modum vir Dei praemittit. „*Fieri debet*, „inquit, *haec oblatio ad honorem Cordis Jesu, quod vir-* „*tutum omnium sedes est, et gratiarum divinarum fons,* „*animarumque sanctarum perfugium. Virtutes autem, ob* „*quas Cor illud sacrosanctum coli debet, hae sunt prae-* „*cipuae. Amor in Patrem ardentissimus, cum summa* „*veneratione ac submissione conjunctus. Patientia in ma-* „*lis tolerandis infinita. Dolor de peccatis immensus, pro* „*quibus videlicet justitiae divinae satisfacere onus ultro* „*in se susceperat. Fiducia dilectissimo Filio propria, pu-* „*dori ac verecundiae maximi peccatoris consociata. Com-* „*miseratio erga homines tenerrima, et, miseriis nostris* „*non obstantibus, caritas in nos et amor ardentissimus.* „*Denique in mediis hisce affectionibus tam variis ac di-* „*versis, tamque vehementibus, ut augeri nullo pacto pos-* „*sent (quippe quae omnes summum perfectionis gradum* „*attigissent), pax tamen summa et tranquillitas, orta* „*scilicet ex conformitate cum divina voluntate tam omni* „*ex parte perfecta, ut quidquid vel zelo ipsius vel amori,*

Digitized by Google

„*vel alteri cuilibet ex praedictis affectionibus contrarium* „*accideret, quantumcumque demum illud esset, eo ne* „*levissime quidem perturbaretur. In eodem hodie statu* „*versatur etiamnum Cor illud Sanctissimum: in primis-* „*que summo hominum amore flagrat, tametsi ejus amori* „*homines nequaquam respondeant nihilque praeter con-* „*temptum incredibilemque duritiem rependant. Ardet Jesus* „*amore nostri, neque redamatur tamen, imo amor illius* „*ne agnoscitur quidem etc., hominibus nempe ea dona* „*respuentibus, ac dedignantibus, quibus Jesus amorem* „*suum testari solet, et cupit.*“ His praemissis Claudius suam oblationem ad Cor Jesu ita facit:

O Cor Jesu mei dilectissimi! Cor adoratione et amore meo dignissimum! Ego tot ac tantas injurias in te commissas sarciendi eluendique desiderio inflammatus, utque ingrati animi vitium, quantum in me est, fugiam, cor meum cum omnibus suis affectionibus, ac me denique totum tibi penitus offero tradoque. Testor hoc esse purum ac sincerum desiderium meum, ut ex hac ipsa hora ac momento mei, mearumque rationum penitus obliviscar, ut sublatis omnibus impedimentis in sacrosanctum Cor tuum, quod mihi singulari misericordia reserasti, introire, ibique cum fidelibus servis tuis vivus ac moriens habitare queam: ergo amore tuo totus incensus, huic divinissimo Cordi libens offero meritum omne, omnemque satisfaciendi vim, quae inesse poterunt tum Missae Sacrificiis, tum orationibus, tum operibus poenitentiae, humilitatis, obedientiae, caeterarumque virtutum omnium, quae toto vitae meae tempore ad extremum usque spiritum facturus sum. Haec omnia non solum in laudem et honorem Cordis Jesu fieri volo, sed praeterea enixe et submisse precor, ut perfectam horum omnium donationem, quam eidem sanctissimo Cordi facio, admittere non dedignetur; ita ut de

Digitized by Google

iis omnibus disponere pro arbitrio possit, ea cui voluerit attribuendo. Atque quum jam animabus in purgatorio detentis concesserim, quidquid in actionibus meis satisfactorium esse potest: cupio ut hoc ipsum animabus illis secundum Cordis Jesu beneplacitum impendatur. Porro quum ejusmodi donatio nullatenus impeditura sit, quominus Missae Sacrificia, caeterasque orationes offerre possim, prout obedientia aut caritas quandoque exigent; pro hoc eventu, quum alienis bonis, atque ad Cor Jesu pertinentibus usurus sim, animus est, ut omnia virtutum opera, quae tunc exerceo, Cordi Jesu, tanquam bona ipsi propria, dicata et consecrata maneant. O Cor sanctissimum! viam obsecro edoce, quam inire debeam, ut mei penitus oblitus, amoris tui puritatem, cujus mihi desiderium infudisti, consequi valeam. Incendor equidem vehementi tibi placendi desiderio; at sentio, me, quod cupio, nequaquam assequi posse sine ingenti auxilio, quod tu solum praestare potes. Perfice igitur in me, o Cor sanctissimum! quidquid tibi acceptum est, tuaeque voluntati conforme: tui unius est praestare omnia, atque perficere, ut tibi uni sanctitatis meae (si adipisci eam tandem contingat) gloria debeatur: neque ego alio fine ad sanctitatem aspirare deinceps volo, nisi ut tu solum lauderis et glorificeris. Amen.

Pii affectus ad Cor Jesu.

Cor Jesu Verbo Dei substantialiter unitum.
Cor Jesu Dei majestate dignum.
Cor Jesu Dei sanctitate sanctum.
Cor Jesu Dei bonitate bonum.
Cor Jesu adoratione Deo debita adorandum.
Cor Jesu amore Deo digno amandum.
Cor Jesu ineffabile.
Cor Jesu incomprehensibile.

Divino amore, quo ardes, inflamma cor meum.

Digitized by Google

Cor Jesu Patris aeterni templum dignissimum.
Cor Jesu verum ac proprium Spiritus Sancti habitaculum.
Cor Jesu sanctissimae Trinitatis sanctuarium.
Cor Jesu caritatis aeternae dignissima sedes.
Cor Jesu, in quo habitat omnis plenitudo divinitatis.
Cor Jesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae.
Cor Jesu thesaurus nunquam deficiens.
Cor Jesu dives in omnes, qui invocant te.
Cor Jesu, de cujus plenitudine omnes nos accepimus.
Cor Jesu pax et reconciliatio nostra.
Cor Jesu fons aquae salientis in vitam aeternam.
Cor Jesu puteus aquarum viventium.
Cor Jesu principium et origo virtutum omnium.
Cor Jesu, in quo sibi Pater bene complacuit.
Cor Jesu hostia vivens, sancta, Deo placens.
Cor Jesu propitiatio pro peccatis nostris.
Cor Jesu amaritudine repletum propter nos.
Cor Jesu saturatum opprobriis.
Cor Jesu attritum propter scelera nostra.
Cor Jesu usque ad mortem crucis obediens factum.
Cor Jesu lancea perforatum
Cor Jesu fons totius consolationis.
Cor Jesu solatium peregrinantis animae.
Cor Jesu refugium nostrum in die tribulationis.
Cor Jesu salus in te sperantium.
Cor Jesu spes in te morientium.
Cor Jesu cultorum tuorum dulce praesidium.
Cor Jesu deliciae Sanctorum omnium.

℣. Jesu mitis et humilis Corde.
℟. Fac cor meum secundum Cor tuum.

Divino amore, quo ardes, inflamma Cor meum.

Digitized by Google

Oratio. Domine Jesu Christe, qui ineffabiles Cordis tui divitias Ecclesiae tuae novo beneficio aperire dignatus es: concede, ut hujus sacratissimi Cordis amori respondere, et injurias eidem afflictissimo Cordi ab ingratis hominibus illatas dignis obsequiis compensare valeamus. Per eundem Dominum

Aspirationes sacrae ad Cor sanctissimum Jesu.

I. O Cor divinissimum, suprema Angelorum et hominum adoratione dignissimum, adoro te: laudo te: glorifico te. Fac, obtestor, ut tua illa divina et infinita excellentia animum meum te illuminante perfundat, et debita admiratione defigat.

II. O Cor amabilissimum, infinito amore dignum, amo te: toto cordis affectu complector te: deosculor te: me tibi, obsecro, arctissime et inseparabiliter conjunge.

III. O Cor sanctissimum, fons perennis sanctitatis, virtutibus tuis coelestibus terrestre cor meum immuta, consecra, sanctifica.

IV. O Cor gratiarum omnium thesaurus indeficiens, divinis tuis muneribus miserum et egentissimum cor meum subleva, dita, cumula.

V. O Rex cordium, dominator legitime imo et unice omnium cordium, subjice imperio illi tuo divinissimo ac suavissimo etiam rebelle cor meum.

VI. O Cor aeternae caritatis sedes dignissima, divino amore, quo ardes, inflamma cor meum.

VII. O Cor Jesu Patri aeterno infinite gratum, me, tuis meritis, majestati ejus acceptum constitue: mea omnia tu perfice, atque divinis aspectibus digna redde.

Digitized by Google

Corolla precatoria ad honorem sacrosancti Cordis Dei Jesu.

Continet haec corolla globulos majores quinque, minores vero tringinta tres secundum numerum annorum ac vulnerum Christi. Initio Corollae oratio haec dicenda est:

Anima Christi sanctifica me.
Cor Christi accende me.
Corpus Christi salva me.
Sanguis Christi inebria me.
Aqua lateris Christi lava me.
Passio Christi conforta me.
O bone Jesu exaudi me.
Intra tua vulnera absconde me.
Ne permittas me separari a te.
Ab hoste maligno defende me.
In hora mortis meae voca me.
Et jube me venire ad te.
Ut cum Sanctis tuis laudem te.
In saecula saeculorum. Amen.

Ante quemlibet globulum majorem dicitur:

Dulcissime Jesu, fac cor meum secundum Cor tuum.

Ad globulum quemlibet majorem dicitur:

Adoramus te Christe, in horto afflictissime, in Eucharistia etiamnum ab ingratis hominibus despecte. Tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus Jesu.

Ad globulos minores dicitur:

Adoro te Cor Jesu sacratissimum; divino amore, quo ardes, accende cor meum.

In fine recitetur semel Pater *et* Ave *cum oratione sequenti:*

Oratio. Domine Jesu, qui ineffabili Cordis tui amoris miraculo te totum nobis in cibum in Altaris sacramento

Digitized by Google

tradere dignatus es: concede, ut, qui injurias ac sacrilegia ab ingratis mortalibus adversum te in hoc sacro mysterio commissa toto animo detestamur ac plangimus, ipsius sacrosancti Cordis accendamur affectibus et dignis in aeternum laudibus ejusdem divinissimi Cordis misericordiam consequamur.

§. II.

Ex aliis libris Romae editis.

Actus consecrationis ad Sacratissimum Cor Jesu.

Dulcissime Jesu, fons amoris, pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui ineffabiles Cordis tui divitias nobis miseris et indignis aperire dignatus es; ego N. in gratiarum actionem pro innumeris in me caeterosque homines collatis beneficiis ac praesertim pro SS. Eucharistiae institutione, et ad reparandas injurias omnes a me et ab aliis quibuscunque in hoc infiniti amoris mysterio Cordi tuo amantissimo illatas, eidem sacratissimo Cordi tuo me totum et omnia mea devoveo cum omnibus bonis ac meritis ex gratia tua acquisitis vel acquirendis, promittens, me divini Cordis tui cultum, quantum pro mea tenuitate licuerit, propagaturum.

Insuper beatissimam Virginem Mariam in peculiarem matrem mihi eligo, hujusque purissimo Cordi me et omnia mea pariter trado ac devoveo, promittens, me hujus purissimae matris cultum juxta ecclesiae mentem, quantum in me erit, propagaturum.

A tua ergo immensa bonitate et clementia peto suppliciter, ut hoc holocaustum in odorem suavitatis admittere digneris, et ut largitus es ad hoc desiderandum et offerendum, sic etiam ad explendum gratiam uberem largiaris. Amen.

Digitized by Google

Corona in honorem SS. Cordis Jesu.

Deus in adjutorium meum. Gloria Patri.

I. Amantissime Jesu, dum considero Cor tuum pussimum et illud video pietate et mansuetudine erga peccatores summa repletum, cor meum in me recreatum sentio laetitia, denuo confisus, me tibi acceptum fore. Eheu! quot et quanta peccata in te commisi! Sed respice benigne hunc Petrum, hanc Magdalenam plangentem; summe doleo et detestor peccata, quibus offendi te summum bonum meum. Utique Domine, utique largiaris mihi plenam remissionem et potius moriar: id peto per Cor tuum benignissimum, moriar priusquam denuo te offendam, aut saltem vita tantum fruar ad te redamandum.

Dicitur semel Pater, *quinquies* Gloria Patri *in honorem 5 vulnerum et SS. Cordis.*

Cor Jesu dulcissimum * flagrans amore mei,
Inflamma Cor meum * semper amore tui.

Idem dicitur in fine singularum orationum.

II. Benedico, Jesu mi, Cor tuum humillimum et gratias ago tibi, quod proponens mihi illud in exemplar non tantum validis stimulis me ad imitandum provocasti, sed insuper tantis humiliationibus viam certam et planam reddidisti. O me stultum et ingratum! quantum ab hac semita deflexi! Ignoscas mihi. Non erit mihi deinceps superbia nec jactantia, sed corde humili in mediis injuriis te sequi volo et sic consequi pacem et salutem. Da mihi virtutem, et benedicam in aeternum Cor tuum.

III. Admiror, Jesu mi, Cor tuum patientissimum, et gratias ago tibi pro tam mirandis invictae patientiae exemplis mihi propositis. Displicet mihi summopere, quod ego contra delicatus nimis et mollis vel minimum laborem per-

ferre non potuerim. O Jesu amantissime, infundas cordi meo fervido perseverantem tribulationum, crucis, mortificationis et poenitentiae amorem, ut sequens te ad Calvariae montem, tecum etiam perveniam ad gloriam et Paradisi jucunditatem.

IV. Respiciens Cor tuum mansuetissimum, mi Jesu, summum horrorem concipio de corde meo plane a te diverso. Propter umbram enim aut corporis gestum aut verbum minimum perturbor et querelas effundo. Veniam des animo nimis effervescenti et concedas gratiam in posterum in omni re adversa mansuetudinem tuam inconcussam imitandi, ut sancta pace gaudeam perpetuo.

V. Sit laus et honor, Jesu mi, Cordi tuo generoso nimis, de morte et inferno triumphum agenti: dignum est illo praeconio honorari. Confusio adhaeret mihi, dum video debile cor meum, quod ad omne verbum morosum et vanam formidinem timore percellitur. Sed deinceps talis non ero. Peto a te talem virtutem animi, ut pugnans et vincens in hac terra, deinde tecum triumphum agam laetum in coelo.

Convertens me ad Matrem Dei piissimam, summa fiducia Cordi ejus Sanctissimo dicam:

Per dignitatem Cordis tui dulcissimi summam, excelsa Dei Genitrix et mater mea Maria, peto, ut impetres mihi veram et perseverantem devotionem ad sanctissimum Cor Jesu filii tui, ut in eo et mente et affectu me recludens, omnia officia mea adimpleam et corde alacri semper sed praecipue hodie Jesu meo serviam. *(Indulgent.)*

Oblatio sui ante imaginem SS. Cordis Jesu facienda.

O mi Jesu amantissime! ego N. N., ut gratitudinem tibi exhibeam necnon infidelitates meas resarciam, tibi cor

Digitized by Google

meum dono, et ex integro me tibi dedico et consecro, atque te auxiliante mihi propono non amplius peccare. *(Indulgent.)*

Preces jaculatoriae ad SS. Cor Jesu indulgentiis ditatae.

I. Jesu mitis et humilis Corde, fac cor meum sicut Cor tuum.

II. Laudetur ubique SS. Cor Jesu.

III. Laudetur, adoretur, ametur cum grati animi affectu Eucharisticum Cor Jesu singulis temporis momentis in omnibus Orbis tabernaculis usque ad consummationem saeculorum. Amen.

IV. Cor Jesu Sacratissimum, miserere nobis! Cor Mariae immaculatum, ora pro nobis!

Oratio ante sanctissimum Eucharistiae sacramentum recitanda.

Respice, Domine, de sanctuario tuo et de excelso coelorum habitaculo et vide hanc sacrosanctam hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster, sanctus puer tuus, Dominus Jesus pro peccatis fratrum suorum; et esto placabilis super multitudinem malitiae nostrae. Ecce vox sanguinis fratris nostri Jesu clamat ad te de cruce. Exaudi, Domine; placare, Domine; attende et fac, ne moreris propter temetipsum, Deus meus, quia nomen tuum invocatum est super civitatem istam et super populum tuum; et fac nobiscum secundum misericordiam tuam. Amen. *(Indulgent.)*

Oratio S. Alphonsi pro visitatione quotidiana SS. Sacramenti.

Domine mi Jesu Christe, qui pro tuo in homines amore nocte dieque in hoc Sacramento permanes pietate et amore totus plenus, expectans, vocans, et excipiens omnes, qui te

Digitized by Google

visitatum veniunt, credo te esse praesentem in Sacramento altaris; ex abysso nihili mei te adoro, gratiasque tibi pro omnibus a te mihi collatis beneficiis ago, praecipue quod mihi dederis temetipsum in hoc Sacramento, tuamque sanctissimam Matrem Mariam in advocatam, et quod vocaveris me ad visitandum te in hac ecclesia. Sanctissimum Cor tuum hodie saluto, illudque salutare intendo triplicem in finem. Primo in gratiarum actionem pro magno hoc dono. Secundo in compensationem omnium injuriarum, quas ab inimicis tuis accepisti in hoc Sacramento. Tertio hac visitatione intendo adorare te in omnibus terrae locis, in quibus in hoc Sacramento minus es honoratus magisque derelictus. Mi Jesu, toto corde te amo. Doleo me quondam toties contristasse bonitatem tuam infinitam. Propono pro futuro non amplius te offendere mediante tua gratia; et pro praesenti, quantumvis sim miserabilis, tibi consecro me totum; dono et trado tibi totam meam voluntatem, affectus, desideria, omnia mea. Ex hoc nunc fac de me et de rebus meis quidquid tibi placet. Unum a te peto, unum desidero, sanctum tuum amorem, perseverantiam finalem, et perfectam tuae voluntatis adimpletionem. Commendo tibi animas purgatorii, illas praesertim, quae erga sanctissimum Sacramentum et Beatissimam Virginem Mariam magis devotae fuerunt. Commendo etiam tibi omnes miseros peccatores. Unio tandem, mi care Salvator, omnes affectus meos cum affectibus amorosissimi tui Cordis, et ita unitos offero illos aeterno tuo Patri, eumque in nomine tuo oro, ut propter amorem tuum eos accipiat et exaudiat. *(Indulgent.)*

Oratio ad D. N. J. Ch.

Obsecro te, dulcissime Domine Jesu Christe, ut passio tua sit mihi virtus, qua muniar, protegar atque defendar;

Digitized by Google

vulnera tua sint mihi cibus potusque, quibus pascar, inebrier atque delecter; aspersio sanguinis tui sit mihi ablutio omnium delictorum meorum; mors tua sit mihi gloria sempiterna. In his sit mihi refectio, exultatio, sanitas et dulcedo cordis mei. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen. *(Indulgent.)*

Oratio ad SS. Cor Jesu pro agonizantibus.

O Clementissime Jesu, amator animarum, obsecro te per agoniam Cordis tui sanctissimi et per dolorem matris tuae immaculatae, lava in sanguine tuo peccatores totius mundi nunc positos in agonia et hodie morituros. Amen.

Cor Jesu in agonia factum, miserere morientium. *(Ind.)*

Aspirationes sacrae.

I. Dulcissime Jesu, ne sis mihi judex, sed Salvator! *(Indulgent.)*

II. O mi Jesu, misericordia! *(Indulgent.)*

§. III.

Orationes, quarum auctores cum laude memorantur in actis apud S. R. C.

Rhythmica oratio S. Bernardi ad Cor Jesu.[1])

Summi Regis Cor, aveto,
Te saluto corde laeto,
Te complecti me delectat,
Et hoc meum cor affectat,
Ut ad te loquar, animes.

1) *Rhythmica oratio* ad unumquodlibet membrorum Christi patientis et a cruce pendentis constat 74 strophis, quarum singulae 5 versus complectuntur. Extat, ut dictum est p. 362, inter opera suppositicia s. Bernardi: apud Migne P. L. tom. 184, pp. 1319 seqq.

Digitized by Google

Quo amore vincebaris,
Quo dolore torquebaris,
Quum te totum exhaurires,
Ut te nobis impartires,
Et nos a morte tolleres!

O mors illa quam amara,
Quam immitis, quam avara;
Quae per cellam introivit,
In qua mundi vita vivit,
Te mordens, Cor dulcissimum!

Propter mortem, quam tulisti,
Quando pro me defecisti,
Cordis mei Cor dilectum,
In te meum fer affectum,
Hoc est quod opto plurimum.

O Cor dulce praedilectum,
Munda cor meum illectum,
Et in vanis induratum;
Pium fac et timoratum,
Repulso tetro frigore.

Per medullam cordis mei,
Peccatoris atque rei,
Tuus amor transferatur,
Quo Cor tuum rapiatur
Languens amoris vulnere.

Dilatare, aperire,
Tamquam rosa fragrans mire,
Cordi meo te conjunge,
Unge illud et compunge;
Qui amat te, quid patitur?

Quidnam agat nescit vere,
Nec se valet cohibere,
Nullum modum dat amori,
Multa morte vellet mori,
Amore quisquis vincitur.

Viva cordis voce clamo,
Dulce Cor; te namque amo:
Ad cor meum inclinare,
Ut se possit applicare,
Devoto tibi pectore.

Tuo vivat in amore,
Ne dormitet in torpore,
Ad te oret, ad te ploret,
Te adoret, te honoret,
Te fruens omni tempore.

Rosa Cordis, aperire,
Cujus odor fragrat mire,
Te dignare dilatare,
Fac cor meum anhelare
Flamma desiderii.

Da cor Cordi sociari,
Tecum, Jesu, vulnerari;
Nam cor Cordi similatur,
Si cor meum perforatur
Sagittis improperii.

Infer tuum intra sinum
Cor, ut tibi sit vicinum,
In dolore gaudioso,
Cum deformi specioso,
Quod vix se ipsum capiat.

Digitized by Google

Hic repauset, hic moretur,
Ecce jam post te movetur:
Te ardenter vult sitire,
Jesu, noli contraire,
Ut bene de te sentiat.

Exercitium pro duodecim cordis munditiis obtinendis.

(Ex P. Jac. Alvarez, v. supra pp. 390—391.)

Praemonitum.

Conaberis intrare in Cor Domini Jesu ipsumque considerare, quale sit: ut ad ipsius similitudinem cor tuum efformes. Cor istud sanctissimum est via, per quam venimus ad aeternam mansionem, quae est Christi divinitas: est et ostium, per quod ingredimur ad contemplationem divinitatis. Ut ergo possis ad contemplationem et amorem divinitatis ascendere in Cor istud Domini, omnium cordium sanctissimum atque mundissimum, intenta consideratione penetrare curabis, ut simile cor aspirando in oratione et laborando in actione habere coneris. Quum in ipsum Cor Domini oculos mentis intenderis, videbis illud duodecim munditiis *purissimum. Fuit enim mundum* 1^0 *a rerum temporalium amore;* 2^0 *ab intentionis obliquitate;* 3^0 *a mundana delectatione;* 4^0 *a placendi hominibus desiderio;* 5^0 *ab inutili cogitatione;* 6^0 *a superflua cura;* 7^0 *a noxia amaritudine;* 8^0 *ab inani complacentia;* 9^0 *ab affectu creatae consolationis;* 10^0 *a stimulis anxietatis;* 11^0 *ab inquietudine impatientiae;* 12^0 *ab infectione propriae voluntatis. Pro hac multiplici puritate ac munditia Cordis Dominum tuum Jesum glorificabis, et eandem ignitis aspirationibus*

Digitized by Google

desiderabis et petes, atque ipsius puritatis assecutionem vehementer insistes et sic cor tuum reformabis:

Oratio. O Salvator hominum Christe Jesu, cujus opus redemptio nostra est: cujus cognitio initium salutis est: cujus imitatio tota perfectio est, aperi mihi, obsecro, sanctissimum Cor tuum, januam vitae et fontem aquae vivae, ut per illud ad tui notitiam ingrediar, et aquam verae virtutis omnem sitim rerum temporalium exstinguentem bibam. Tu dixisti: Pravum est cor hominis et inscrutabile, quis cognoscet illud? Ego Dominus. Ego autem dico: sanctum et mundum est Cor tuum, sed impenetrabile, et quis cognoscet illud? Tu Domine, et ille ex parte, cui volueris illud revelare. Revela ergo et illumina oculos meos, ut sanctissimi Cordis tui perfectionem videam, et immortificationes cordis mei abjicere tuarum perfectionum imitatione contendam, ut quod tu non es, non vis, non amas, constanter expellam, et te solum et quod vis et quod amas, et in eo gradu, quo jubes aut consulis a me amari, diligenter amplectar.

I. Glorifico te, o auctor sanctitatis, ob primam munditiam sacratissimi Cordis tui, qua mundum fuit ab omnium rerum temporalium amore. Nulli enim rei temporali amore adhaesisti, sed superfluis abjectis cum magna Cordis simplicitate, necessaria sanctissimae humanitati tuae parce, et anguste, et ita ut vix ad sustentationem sufficerent, usurpasti. O si jam discerem temporalia relinquere, visibilia contemnere, et rebus caducis affectu non adhaerere. O si eas quieto corde in tuum beneplacitum resignarem, et sive dederis, sive abstuleris, cum illis aut sine illis pacatus semper et tranquillus permanerem. Da mihi obsecro per sanctissimam nuditatem tuam, ut nuditatem omnium rerum visibilium amem, ut omnia superflua deseram, ut curiosa nec meo statui consona rejiciam: et necessaria sine quibus vita

Digitized by Google

esse non potest, et secundum meum statum ad singularitatem vitandam, sine nimio affectu cordis, ad simplicem usum assumam. Immo et ut haec cum nausea et taedio suscipere coner, ut tuae nuditati amplius conformari et ad tuam imitationem perfectius evolare queam.

II. Glorifico te, o Domine, ob secundam munditiam sanctissimi Cordis tui, qua alienissimus fuisti ab omni sinistra intentione. Non quaerebas gloriam tuam, sed in operibus tuis, ut filius unigenitus et dilectissimus gloriam Patris aucupabas. O in hac re quam longissime a tua imitatione abfui! Nam in his quae hactenus desideravi et egi, meipsum et non te, meum scilicet honorem, meam utilitatem, meam consolationem quaesivi aut poenam et confusionem evadere curavi. Vix reperio aliquid quod pure propter tuam gloriam fecerim, et in quo non saltem aliqua ratione meipsum intenderim. Da mihi, obsecro, per mirabilem rectitudinem intentionis tuae in omnibus quae cogitavero, quae concupivero, quae egero, intentionem puram habere. Da mihi intentionem rectam, ut ex filiali amore in cunctis tuum honorem, gloriam et beneplacitum quaeram, et intentionem simplicem, ut omnia ad hoc referam, ut in te semper maneam, et intellectu atque affectu, fide, spe et caritate ornato in tuo sinu quiescam, et intentionem perfectissimam, ita scilicet ut nec spiritualem consolationem quaeram, sed etiam in omni desolatione et derelictione tibi soli adhaerere concupiscam. Jam posthac hoc solum intendere et in meis laboribus comparare desidero.

III. Laudo te, o supergloriosissime Domine Deus, ob tertiam munditiam nobilissimi Cordis tui, qua mundus fuisti ab omni voluptate et delectatione hujus saeculi. Nam tu qui a momento conceptionis tuae beatus eras et deliciis coelestibus sine ulla mensura fruebaris, delicias nostras, quas res sensibus perceptae ingerunt, refutabas. Concede mihi, rogo,

Digitized by Google

per hanc celsitudinem Cordis tui, secundum desiderium, quod te donante concepi, omnem sensualem delectationem respuere. Hucusque sensualiter delectatus sum in cibo, in potu, in somno, in vestibus, in amicitiis humanis, in confabulationibus, item in appetitu videndi pulchra, audiendi nova, habendi curiosa, et fruendi sensuum vanitate. In his omnibus volo, et propono me mortificare, et ab illis averti, ut mihi spiritualia sapiant (quorum sapor gustu terrenorum obtunditur) et universa, quae ad vitam perfectam non conferunt, omnino displiceant. Tu ipse qui dedisti voluntatem, dabis et opus, quia sine te impotens sum, ut cor meum ad abjecta propensum reprimam atque cohibeam.

IV. Laudo te, o suavissime Redemptor Jesu, ob quartam munditiam purissimi Cordis tui, qua alienus fuisti ab omni mundana amicitia, et ab omni studio placendi hominibus, et cum sancta libertate ea operatus es, quae consona erant eximiae virtuti ac sanctitati tuae. Admodum desidero habere cor meum in hoc Cordis tui puritati conforme. Concede mihi, rogo, ut hominibus placere non quaeram. Ne, ut placeam hominibus, aliquid minus rectum minusque tibi placitum faciam. Neve timore displicendi illis aliquid debitum, aut a te jussum omittam. Concede etiam, ut amicos ordinate diligam, et amicitiam humanam licet moraliter bonam cordi meo, quod tibi consecravi, dominari non sinam. Nec non ut consanguineos in te et propter te amem, et amorem naturalem in spiritualem convertam. Volo quidem omnes homines etiam inimicos propter te, sicut meipsum diligere, eis tui imaginem, gratiam et virtutes velle, omnium salutem sitire, nullius imperfectionibus aut vitiis annuere et absque ulla inquietudine ab illis mala avertere, et eisdem bona praestare. Da, ut faciam, et ut cor meum illibatum tibi ab omni amore saeculari custodiam.

Digitized by Google

V. Magnifico te, o mi Salvator Jesu Christe, ob quintam munditiam sanctissimi Cordis tui, quia scilicet mundissimus fuisti ab omni affectu inutilis cogitationis. Nulla cogitatio ascendit in Cor tuum, quae non esset sancta, illibata, pulchra, admissa pro salute animarum nostrarum et gloria Patris. Neque cogitationes tuae sicut cogitationes nostrae, neque viae tuae sicut viae nostrae. Sed sicut exaltantur coeli a terra, ita supra cogitationes mortalium sanctissimae cogitationes tuae exaltatae sunt. Circumda, postulo, per sanctitatem tuam, cor meum muro gratiae tuae, ne in illud aliqua cogitatio minus tibi grata penetrare queat. Magna est, Domine, tepiditas mea et incuria mea: cujus causa mihi cogitationes impurae et noxiae incidere solent, et cogitationibus inanibus et superfluis inficior et cogitationibus rerum vilium, sed cum nimia sollicitudine admissis torqueor atque discrucior. Tolle a me jam cogitationes malas, et pudeat me in conspectu tuo cogitare, quae coram hominibus loqui aut operari erubescerem. Amove a corde meo cogitationes inanes, et verear illud evolvere in conclavi animae meae, ubi tu habitas, quod si ad notitiam hominum venturum esset, cogitare timerem. Tempera et cohibe cogitationes necessarias, rerum scilicet, quae mihi ratione officii aut status incumbunt, et fac, ut haec ita in te et propter te cogitem, quod a tua praesentia non divellar. Afficiar ego ad taciturnitatem, ad solitudinem cordis, et ad recessum ab hominibus, quem mea vocatio patiatur Ita nimirum ut non pro vano solatio, sed pro bono caritatis, aut pro onere necessitatis meae, aut ipsorum cum illis esse sustineam. Haec enim sunt instrumenta, quibus tu soles a corde nostro impuras et vanas cogitationes abjicere. Te et tuas perfectiones, sed praecipue infinitam caritatem tuam semper cogitem, ita ut cogitationes in affectiones transeant, et te bonum meum assiduo amore complectar.

Digitized by Google

VI. Magnifico te, o Salvator amantissime, pro sexta munditia Cordis tui, qua alienus eras ab omni superflua cura, immo universa cum admirabili libertate spiritus et tranquillitate operabaris. Nihil erat quod te turbaret, nihil quod a Cordis simplicitate et quiete divelleret. Eja Domine, mortifica passiones meas, cohibe illas fraeno amoris tui, et moderare medicamine praesentiae tuae, ne me inquietent, sed magis ad id, cujus gratia eas dedisti, id est, ad bonas operationes juvent. Libera me a mordacibus curis, facque, ut sive parva, sive magna ex me pendeant, in te, cui omnia sunt pusilla et facillima, et non in mea virtute confidam. Volo quidem ad id, quod mihi incumbit, media ordinata tranquille ponere et consilio prudentum uti, sed a te bonum eventum exspectare. Volo etiam actiones, quas a me postulat necessitas, absque multiplicitate et sollicitudine cordis perficere et ad te in illis (quantum mihi datum fuerit) intellectum et affectum elevatum habere. Postulo a te, o auctor puritatis, ut ita impleam, ne per nimias occupationes, aut nimie et imprudenter acceptas, meus intellectus obscuretur et affectus ad teporem vertatur. Ne mihi temporalia sapiant, et spiritualia desipiant, sed omnia ad virtutis et perfectionis augmentum convertam.

VII. Benedico te, o suavissime Domine Jesu Christe, ob septimam munditiam purissimi Cordis tui, qua plenus eras omni suavitate et dulcedine et vacuus omni felle amaritudinis. Non clamabas, neque audiebatur vox tua foris, neque eras tristis, neque turbulentus, sed ad omnes dulcis atque benignus. Per hanc dulcedinem tuam rogo te, ut auferas a me omnem cordis amaritudinem. Hanc ego multis causis et modis in cor meum intuli. Orta est enim in me ex superbia et praesumptione propriorum meritorum, qua falsa justitia plenus, quae indignationem habet, non compassionem,

Digitized by Google

pronus fui ad temere judicandum, et aspernandum caeteros. Item ex desideriorum immortificatione, qua incitatus sum ad detrahendum de superioribus et aliis, qui meis vitiis non acquieverunt. Insuper ex rancore et odio, quo dicta et facta eorum, qui me quoquo modo laeserunt, pervertere et in malum interpretari volui. Deinde ex invidia, qua virtutes illorum, quibus praeferri aut aequari non potui, exstinguere aut obscurare concupivi. Tandem ex tepida et distracta conscientia, qua fervidos et non mei similes aversatus sum. Has omnes causas amaritudinis a me submovere volo et statuo. Et tu Domine a me submove, et amoris tui suavitate reple, ut omnes propter te diligam, ut boni mihi placeant, et propter te quaeque adversa tranquillo corde sustineam.

VIII. Benedico te, o dulcissime Jesu, ob octavam munditiam sanctissimi Cordis tui, seu ob magnitudinem ejus, qua omnia opera tua, licet eximia, Patri submittebas, et ei te in omnibus humiliabas. Da mihi per hanc magnitudinem tuam affectum, quo omnem inanem gloriam et complacentiam superem, et mea verba et opera et labores parvipendam, et si quae habeo, aliena esse cognoscam. Da etiam, ut me reputem omnibus hominibus indigniorem, omnibus viliorem propter peccata, quae feci et propter illa, quae facere potui et propter dona tua, quae otiosa possedi, quae si alius accepisset, multo magis et melius tibi placuisset. Da demum, ut vilissimus ab omnibus haberi velim, et a te solo cognosci et amari procurem.

IX. Laudibus effero te, o dilectissime Domine Jesu Christe, ob nonam munditiam perfectissimi Cordis tui, qua nulli adhaerebas creatae consolationi, sed pro me dolores et afflictiones amabas. Anima sanctissima tua beata erat et infinitis gaudiis immersa. At secundum portionem inferiorem

Digitized by Google

pressuram et angustiam sustinebat: adeo ut in cruce dixeris, te a Patre fuisse derelictum, quia summa tristitia afficiebat Cor tuum. Et quidem facile erat tibi, Domine, retenta externa paupertate et corporis afflictione ab anima tua omnem prorsus tristitiam pellere et omni exsultatione et laetitia circumdare. Sed voluisti ad tempus, usque ad mortem tristis esse, et moerore atque angore te ipsum affligere, ut discerent tui servi propter te non solum in corpore dolorem et penuriam, verum in anima ariditatem et derelictionem sustinere. Largire ergo mihi cor ab omni desiderio consolationis et devotionis sensibilis alienum: ita scilicet, ut cum haec adfuerit, in ea meipsum non quaeram, sed pure propter te, et ut instrumentum majoris mortificationis suscipiam. Si vero abfuerit, etiam fervide vivam, et ad consolationes hujus mundi aucupandas non deflectam. Certum est enim, quod vera sanctitas non in subtili rerum coelestium investigatione, nec in sensibili devotione, sed in vera caritate et humilitate et in vera et perfecta legis tuae custodia constituta est. Hanc ergo prae omnibus quaeram, et inquisitioni intellectus, aut consolationibus non adhaerebo.

X. Laudibus effero te, o purissime Jesu, ob decimam puritatem beatissimi Cordis tui, seu ob fiducialem securitatem ejus, qua omnia ad gloriam Patris et salutem nostram pertinentia exsultanter operabaris. Erat tibi evidens in omnibus beneplacitum Patris tui, ideoque absque ulla ambiguitate, absque ulla anxietate aut timore et cum incredibili securitate et fiducia non ut servus, sed ut filius, immo et ut Dominus omnium universa perficiebas. O si in his quae ago, tuum beneplacitum possem agnoscere! O si addictus legibus tuis omnem scrupulositatem et anxietatem deponerem et fiducialiter rebus bonis intenderem. Tolle, obsecro, a corde meo nimium amorem mei et infunde amorem perfectum tui.

Digitized by Google

Tolle cor servi pigri, et minus fidelis, solam poenam et flagellum timentis, et da cor filii per sanctam fiduciam in te sperantis: ut secure in te omnes meas curas projiciam et sine puerorum terroribus per viam perfectionis incedam.

XI. Benedico et laudo te, o patientissime Domine Jesu, ob undecimam munditiam rectissimi Cordis tui, qua mundus eras ab omni impatientiae et ultionis affectu. Nam pro me mansuetissimo Corde omnium sustinuisti contumeliam, irrisionem et afflictionem. Pertulisti sputa, flagella et crucis ac mortis tormenta, et tantum abfuit, ut vindictam peteres, quod pro ipsis persecutoribus precatus es. Volo Domine a corde meo omnem impatientiam depellere, et infamias, aegritudines, derisiones, contumelias, derelictiones internas, subtractiones sensibilis gratiae, et omnem adversitatem aequo animo tolerare. Da mihi, obsecro, ne opere aut verbo de adversariis ultionem sumam: ne corde rancorem et impatientiam feram, et ut me omni malo dignum arbitrans, laeto animo cuncta adversa emergentia sustineam.

XII. Benedico et laudo te, o sanctissime Redemptor Jesu, ob duodecimam munditiam purissimi Cordis tui, qua mundus fuisti ab omni propria voluntate. Tua voluntas erat voluntati Patris omnino conformis. Venistique, ut Patris voluntatem faceres, ut ejus placita in cunctis praestares. Tibi voluntatem meam offero, et liberum arbitrium meum consecro, quo in corde meo nihil pretiosius invenio. Munda me, rogo, a veneno propriae voluntatis, daque, ut in omnibus tuam sanctissimam voluntatem quaeram, ut quod tibi gratum fuerit, per scripturam vel per praelatos vel per internam inspirationem expressum, exsequar. Immo da, ut quasi voluntatem non habeam, sed in omnibus tum majoribus tum minoribus ductu tuae voluntatis regar.

Ex infinita munditia et puritate benedicti Cordis tui

Digitized by Google

hos duodecim rivulos munditiae collegi, quos duodecim Cordis tui munditias nominavi. Concede, quaesumus, ut has semper petam, semper sitiam, et quod postulo et cupio, semper actione praeferam. Fac, ut secundum haec vitam meam instituam, utque cor meum a pravis affectibus mundare contendam. Imprime sanctissimum Cor tuum in cor meum, et istud tibi assimila, nec permittas, me statum imitatoris tui habere, et cor alienum a tua imitatione portare.

Salutatio matutina Cordis Jesu.

(Ex B. Mechtilde.)

Adoro, laudo et saluto te, dulcissimum et vernans Cor Jesu Christi, ex quo tanquam ex mellifluo gratiarum fonte omne bonum omnisque dulcedo effluxit et effluit. Et ex totis viribus cordis mei ago tibi gratias, quod me hac nocte custodieris, Deoque Patri pro me laudes et gratiarum actiones persolveris. Et nunc, o dulcis amor meus, offero tibi miserum et indignum cor meum in sacrificium matutinum et omni qua possum devotione includo et commendo illud dulcissimo Cordi tuo: rogans, ut divinas tuas influxiones illi infundere atque sancto tuo amore accendere digneris. Amen.

Commendatio vespertina ad Cor Jesu.

(Ex B. Mechtilde.)

O Cor Jesu dulcissimum, tibi commendo hac nocte cor et corpus meum, ut in te dulciter requiescant. Et quoniam ego jam obdormiturus Deum laudare nequeo, tu illud pro me supplere digneris; ita ut quot pulsus cor meum hac nocte dederit, tot laudes SS. Trinitati pro me persolvas: omnemque halitum, quem spiravero, in te susceptum eidem tanquam vivas amoris scintillas offerre velis. Amen.

Digitized by Google

Salutatio Cordis Jesu interdiu facienda.

(Ex B. Mechtilde.)

Salve Cor Jesu dulcissimum, suavisonum sanctissimae Trinitatis instrumentum! Salve Cor Jesu amantissimum, omnium divitiarum Dei nobilissimum aerarium! Millies et millies benedico et saluto tuam divinam bonitatem, quia es fons et origo, ex qua omnis bonitas et misericordia scaturit. O nobile et pretiosum Cor Jesu Christi! per mutuam gratitudinem colendae Trinitatis saluto et adoro te ob abundantiam omnium gratiarum, quae effluxerunt et sine fine effluent in omnes sanctas et devotas animas, quas toties irrigasti et inebriasti torrente divinae voluptatis tuae! — O Cor Jesu, Cor dulce! O Cor Jesu, Cor suave! O Cor Jesu, Cor amabile! O Cor Jesu, manans dulcedine, redundans pietate, affluens caritate! In tua intima penetralia immergo spiritum meum et in profundo tuae misericordiae sepelio totum pondus iniquitatis et negligentiae meae. Tibi offero omnes meos labores et sudores; tibi dedico omnes meas angustias et miserias; tibi commendo vitam et finem vitae meae. O Cor aroma dulcissimum; incensum suavissimum, sacrificium dignissimum, offer temetipsum super reconciliationis humanae altare aureum in supplementum omnium, quos vixi dierum, in quibus Deo non detuli fructum. — Benedico tibi, Cor Jesu nobilissimum, ob illum amorem, quo a Spiritu sancto ex castissimo Mariae Virginis sanguine es creatum! Glorifico te, Cor Jesu dulcissimum, ob illum amorem, quo a sanctissima Trinitate omnibus coelestibus donis es decoratum. Magnifico te, Cor Jesu mitissimum, ob illum amorem, quo semper erga genus humanum arsisti. Veneror te, Cor Jesu benignissimum, ob illum amorem, quo in cruce moriens disruptum fuisti. Collaudo te, Cor Jesu fidissimum, ob illum

amorem, quo lancea transfigi, sanguinemque et aquam destillare voluisti. — Te igitur, o sanctissima omnique laude dignissima Trinitas, per illud Cor summe benedictum laudo, glorifico et benedico, quod potueris, sciveris atque volueris huic nobilissimo Cordi tam multiplicia dona gratiarumque abundantiam conferre, et summo, quo possum, affectu et reverentia, offero tuae supremae majestati idipsum Cor dulcissimum atque unice dignissimum omni honore, quia plenum est divina gratitudine ac beatitudinis perfectione excellens in perpetuum, atque oro, ut per illud ipsum supplere ac perfecte restaurare digneris, quidquid mali commisi et in omni bono neglexi. Amen.

CAPUT III.

EXERCITIA VARIIS IN LOCIS EPISCOPIS RITE PROBANTIBUS EDITA.

§. I.

Officia parva SS. Cordis Jesu.

I. OFFICIUM PARVUM *J. B. AGNESII.*[1])

Septem horae precariae ad Christi Cor, perstringentes praecipuos passionis Domini actus ab ejus captione in sepulturam.

Ad Matutinum.

Cordis pura tui puro praeconia corde
Da modulis celebrare piis mihi, dulcis Jesu;

---

1) Vide supra p. 477.

Corde ut agone tuo tecum certemus amaro,
Vincti et amore simul sua vincula dura feramus,
Atque alapas animo, verbera, sputa, pio.

℣. Cor mundum da, Christe, pii da flumina fletus.

℟. Plangamus poenas corde animoque tuas.

Oremus.

Bonorum omnium largitor, Deus, qui omnes thesauros tuos in Cordis filii tui domini nostri Jesu Christi *arca* recondisti, ut in cruce militis *aperta* lancea eos in pauperes miseros liberalis effunderes: quaesumus ut cordibus nostris ita illos recondas, ut vitae et mortis ejusdem filii tui semper memores, digni efficiamur gloria resurrectionis. Per eundem Christum.

Ad Primam.

Lux mea, Christe, meos mentis tu dirige gressus;
Ut sequar usque tuos, stygias vincamque phalanges,
Falsos et testes, tetras mundique tenebras.
Luce, latet quae Corde tuo, lucisque lucerna
Fac mea sint Cordis viscera, corque tui.

Ad Tertiam.

Cor ut, Christe, tuum cunctorum est arca bonorum,
Pressis pauperie succurre, charismata mitte
Flaminis, ut tecum patiamur probra, flagella,
Hicque coronemur spinis; post fata corones
Schemate victores ut super astra tuo.

Ad Sextam.

Quanta est, Christe, pii caritatis fervida Cordis
Flamma tui, ligno ligni quum damna rependis,

Digitized by Google

Abluis et roseo nostras in sanguine sordes!
Tecum fige tui clavis me Cordis amoris,
Dulcia de vitae ut stipite poma legam.

Ad Nonam.

Exsultet protoplastus, primaeva parensque
Nostra! Cruci moriens persolvit debita mortis
Vita potens; ferroque adaperto Corde resurgit
Eva secunda; fluunt nostrae unde fluenta salutis
Ac pretium; nostra et fracta catena jacet.

Ad Vesperas.

En vitae fructus, devicta morte potenter,
Fractis tartareis post saecula multa catastis,
In gremio matris ligno deponitur alto.
Plagas quasque rigans fletu pia, cordis hiulcum
Heu! vulnus lachrymis implet amara suis.

Ad Completorium.

Fidus Josephus, fidis comitatus amicis,
Acceptum lacerum veneranter corpus Jesu
Sindoneque involvunt, myrrhaque aloeque
Conditum. Mortis vita hinc includitur antro,
Postridie nostra ut vita resurgat ovans.

Commendatio.

Cordis diva tui cecini praeconia, Christe,
Pleni divitiis deitatis; lucis, amoris,
Flaminis et vitae. Toto fac corde animoque
Te deamem, cupiam, quaeram, inveniam teneamque,
Post mortem ut coelo te super astra fruar.

Digitized by Google

II. OFFICIUM PARVUM SS. CORDIS JESU. [1])

Ad Matutinum.

Cor Jesu flagrans amore mei, inflamma cor meum amore tui. Amen.

℣. Domine labia mea aperies.

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri etc.

Hymnus.

Coelestis aulae gloria,
Qui sede lapsus aetheris,
Coeli triumphos deseris,
Ut nostra fias hostia.

Jesu voluptas cordium,
Cor ure sacris ignibus,
Dignis ut ornem laudibus
Cordis tui praeconium.

Jesu Patris Cor unicum,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.

Ant. O Sacrum Cor Jesu, Patris voluntati obsequentissimum! inclina ad te corda nostra, ut quae placita sunt ei, faciamus semper.

1) Approbantibus locorum Ordinariis pluries editum, ut ecce: Aureliani 1732, Remis 1747, Monachii 1756, Campoduni 1775, Avenione 1777, Lugduni 1805, 1808.

Digitized by Google

℣. Paratum cor meum, Deus cordis mei, ut faciam voluntatem tuam.

℟. Deus meus volui, et legem tuam in medio cordis mei.

Oremus.

Respice, quaesumus, misericordissime Deus, in Cor dilectissimi Filii tui, in quo tibi bene complacuisti, ejusque SS. Cordis moeroribus, quos nostri causa pertulit, et dignis satisfactionibus, quas pro nobis tibi persolvit, placatus, concede corde contrito petentibus nostrorum nobis veniam peccatorum: et tanto Christi amore cor nostrum accende, ut ipsius divini Cordis affectibus toti incensi, secundum Cor tuum inveniri mereamur. Per eundem Dominum etc.

Ad Primam.

℣. Cor Jesu flagrans amore mei.

℟. Inflamma cor meum amore tui.

℣. Deus in adjutorium meum etc.
Gloria Patri etc.

Hymnus.

O Cor amoris victima,
Coeli perenne gaudium,
Mortalium solatium,
Mortalium spes ultima.

Tu Trinitatis gloria,
Jungit tibi se Filius,
In te quiescit Spiritus,
In te Patris sunt gaudia.

Jesu Patris Cor unicum,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.

Ant. O Sacrum Cor Jesu, salutis nostrae sitientissimum! revoca nos praevaricatores ad cor, ut non moriamur in peccatis nostris.

℣. ℟. *et oratio ut supra.*

Ad Tertiam.

Cor Jesu. Deus in adjutorium. Gloria Patri.

Hymnus.

Te sole puro purius
Verbi Dei sacrarium,
Verbi Dei palatium,
Templumque coelo dignius;

Te, digna sedes numine,
Foecunda virtus Flaminis,
Illapsa in alvum Virginis
Puro creavit sanguine.

Jesu Patris Cor unicum,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.

Ant. O sacrum Cor Jesu, puritatis exemplar perfectissimum! fac nos esse mundo corde, ut secundum Cor tuum inveniri mereamur.

℣. ℟. Oremus, *ut supra.*

Ad Sextam.

Cor Jesu. Deus in adjutorium. Gloria Patri.

Digitized by Google

Hymnus.

Cor dulce! Cor amabile!
Amore nostri saucium,
Amore nostri languidum,
Fac sis mihi placabile.

Vindex reis irascitur
Deus: sed ut te respicit,
Placatus iras abjicit,
Et fulmen obliviscitur.

Jesu Patris Cor unicum,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.

Ant. O sacrum Cor Jesu, hostibus tuis mitissimum! exsultet pax tua in corde nostro, ut persequentibus et calumniantibus nos remittamus de cordibus nostris.

℣. ℟. Oratio, *ut supra.*

Ad Nonam.

Cor Jesu. Deus in adjutorium. Gloria Patri.

Hymnus.

Grandi reclusum vulnere
Amor dedit te pervium;
Amor reclusit ostium,
Hortatur et pervadere.

Quos abluisti sanguine
Venis apertis omnibus,
Nos intimis recessibus
Semel receptos contine.

Jesu Patris Cor unicum
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.

Ant. O sacrum Cor Jesu, doloris patientissimum! da nobis cor contritum et humiliatum, ut fructus dignos poenitentiae faciamus.

℣. ℟. Oremus, *ut supra.*

Ad Vesperas.

Cor Jesu. Deus in adjutorium. Gloria Patri.

Hymnus.

Novo Deus mysterio
Carnem suam dat pabulum,
Et sanguinem dat poculum
Mirabili convivio.

Quem proni adorant Angeli,
Hic temperato numine
Sub mystico velamine
Fit esca vilis servuli.

Jesu Patris Cor unicum,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.

Ant. O sacrum Cor Jesu, paupertatis amantissimum! pone nos ut signaculum super te, ut in te unico thesauro nostro totum sit cor nostrum.

℣. ℟. Oremus, *ut supra.*

Digitized by Google

Ad Completorium.

Cor Jesu. Deus in adjutorium. Gloria Patri.

Hymnus.

Cor Matris ad Cor Filii
Amoris ardens impetu
Indesinente anhelitu
Suspirat, oblitum sui.

Utrumque amoris vinculum
Conjungit arctis nexibus,
Hoc ardet hujus ignibus,
Ignemque reddit aemulum.

Jesu Patris Cor unicum,
Puris amicum mentibus,
Puris amandum cordibus,
In corde regnes omnium.

Ant. Ò sacrum Cor Jesu, amantibus te beneficentissimum! deficiat in te caro nostra et cor nostrum, ut sis Deus cordis nostri, et pars nostra Deus in aeternum.

℣. ℟. Oremus. Respice, *ut supra.*

Litaniae de SS. Corde Jesu.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Christe audi nos. — Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus, — miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, — miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, — miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, — mirere nobis.
Cor Jesu, Verbo Dei substantialiter unitum, — miserere nobis.

Digitized by Google

Cor Jesu, divinitatis sanctuarium,
Cor Jesu, sanctae Trinitatis templum,
Cor Jesu, sapientiae abyssus,
Cor Jesu, bonitatis oceanus,
Cor Jesu, misericordiae thronus,
Cor Jesu, thesaurus nunquam deficiens,
Cor Jesu, de cujus plenitudine omnes nos accepimus,
Cor Jesu, pax et reconciliatio nostra,
Cor Jesu, virtutum omnium exemplar,
Cor Jesu, infinite amans et infinite amandum,
Cor Jesu, fons aquae salientis in vitam aeternam,
Cor Jesu, in quo sibi Pater bene complacuit,
Cor Jesu, propitiatio pro peccatis nostris,
Cor Jesu, propter nos amaritudine repletum,
Cor Jesu, usque ad mortem in horto tristissimum,
Cor Jesu, opprobriis saturatum,
Cor Jesu, amore vulneratum,
Cor Jesu, lancea perforatum,
Cor Jesu, in cruce sanguine exhaustum,
Cor Jesu, attritum propter scelera nostra,
Cor Jesu, etiam nunc ab ingratis hominibus in sanctissimo amoris Sacramento dilaceratum,
Cor Jesu, refugium peccatorum,
Cor Jesu, fortitudo debilium,
Cor Jesu, consolatio afflictorum,
Cor Jesu, perseverantia justorum,
Cor Jesu, salus in te sperantium,
Cor Jesu, spes in te morientium,
Cor Jesu, cultorum tuorum dulce praesidium,
Cor Jesu, deliciae Sanctorum omnium,
Cor Jesu, adjutor noster in tribulationibus, quae invenerunt nos nimis,

Miserere nobis.

Digitized by Google

Agnus Dei, etc. — parce nobis, Domine.
Agnus Dei, etc. — exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, etc. — miserere nobis.
Christe audi nos. — Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.

℣. Jesu mitis et humilis Corde:

℟. Fac cor nostrum secundum Cor tuum.

Oremus.

Fac nos, Domine Jesu, sanctissimi Cordis tui virtutibus indui, et affectibus inflammari; ut et imagini bonitatis tuae conformes, et tuae redemptionis mereamur esse participes. Qui vivis et regnas.

Rhythmus ad SS. Cor Jesu.

Cor Jesu, Cor purissimum, * O ara sanctitatis!
Cor meum purga sordidum, * Infectum tot peccatis.

Qui movet tibi vomitum, * Auferto hinc teporem,
Infunde novum spiritum, * Et spiritus fervorem.

Cor mite, Cor humillimum, * Cor plenum bonitatis,
Cor tuo da simillimum, * Da ignem caritatis.

Sed quid? si vel seraphico * Amore cor flagraret,
Non tamen hoc incendio, * Non satis te amaret.

Ut ergo te diligere, * Cor Jesu, possim satis,
Immensum da, quo amas me, * Ardorem caritatis.

Hoc, hoc amoris jaculo, * Cor meum accendatur,
Et hujus ab incendio * In cineres solvatur.

O mors exoptatissima, * Sic mori vi amoris!
Amoris sit cor victima * Pro Corde Redemptoris.

Amore tui moriar, * Cor Jesu, amor meus!
Ut novo corde ordiar * Amare te, o Deus! Amen.

Unice cordis amor, timor unice cordis, Jesu!
Cor tibi dono meum, Cor mihi redde tuum.

Digitized by Google

III. OFFICIUM CORDIS, N. J. CD. *PATRIS DRUZBICKI.*[1])

Ad matutinum.

In virtute Cordis et animae et Verbi aeterni.

℣. Cor Jesu Christi Cordi Patris aeterni

℟. Cum meo corde devoveo in aeternum.

Cor Jesu Christi, labia mea aperies
Et os meum annuntiabit laudem tuam.
Cor Jesu in adjutorium meum intende.
Cor Jesu ad inflammandum me festina.

Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto: Cordi et animae et Verbo aeterno: sicut erat in principio etc.

Hymnus.

Venite Cor adoremus
Jesu nostri summi Dei,
Toto corde exaltemus
Cor dulce amoris rei.
Cor dulcissimum illuminet sensus,
Et inflammet corda nostra.

Oremus.

Da nobis, Domine Jesu, Cor tuum, ut illud Cordi Patris aeterni offerentes, Cordi ejus per omnia placeamus. Qui vivis et regnas cum eodem Deo Patre et Spiritu sancto Deus in saecula saeculorum. Amen.

Ad primam.

℣. Cor Jesu Christi Cordi Patris aeterni

℟. Cum meo corde devoveo in aeternum.

Cor Jesu in adjutorium meum, *ut supra.*

1) Ex libro *Meta cordium.* Vide sup. p. 181.

Digitized by Google

Hymnus.

Salve Cor Dei hominis,
Cor humanum, Cor divinum,
Salve Cor natum virginis,
Cor salve, meta cordium.

℣. Cor dulcissimi Jesu illuminet sensus

℟. Et inflammet corda nostra.

Oremus.

Da nobis, Domine Jesu, *ut supra.*

Ad tertiam.

Cor Jesu Christi Cordi Patris aeterni, *ut supra.*

Hymnus.

Cor divinae voluntati,
Cor divinae dignitati,
Divinae Cor caritati,
Sacrum atque bonitati.

Cor dulcissimi *et oratio, ut supra.*

Ad sextam.

Cor Jesu Christi Cordi Patris, *ut supra.*

Hymnus.

Cor amore Patris vivens,
Cor nostrarum lux mentium,
Cor vitam nostram sitiens
Cor nostrorum fax cordium.

Cor dulcissimum *et oratio, ut supra.*

Ad nonam.

Cor Jesu Christi cordi Patris, *ut supra.*

Digitized by Google

Hymnus.

Cor nos Deo sanctificans,
Cor gratiarum pelagus,
Cor homines justificans,
Aureus vitae tagus.

Cor dulcissimum *et oratio, ut supra.*

Ad Vesperas.

Cor Jesu Christi Cordi Patris, ut supra.

Hymnus.

Ave Cor princeps cordium,
Ave Cor centrum votorum,
Ave Cor pharos mentium,
Ave pignus salvandorum.

Cor dulcissimum *et oratio, ut supra.*

Ad completorium.

Cor Jesu Christi Cordi Patris, *ut supra.*

Converte nos ad Cor tuum,
Jesu salutaris noster,
Et averte iram tuam a nobis.

Hymnus.

Tuis nos flammis exure,
Tuam nobis vitam dona,
Tua luce mentes ure,
Et nos in coelis corona.

Cor dulcissimum *et oratio, ut supra.*

Commendatio.

O Cor Jesu mel suave,
Has Tui laudes accipe,
Vale, dulce Cor et ave,
Ac morientes suscipe.

Digitized by Google

Orationes.

I. Pater aeterne Deus, toto me Cor Unigeniti tui: tibi offero pro toto me. Tu miserere mei sicut potes, scis et vis. Per eundem Unigenitum tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate spiritus sancti Deus, per omnia saecula saeculorum.

II. Ave Cor Domini Nostri Jesu Christi, gratia potentiae Patris, sapientiae Verbi, caritatis Spiritus sancti plenum, hypostatice Dominus tecum; Tu nostri amore saucium et mortuum; Tu super omnia nobis diligendum; Tu miserere nostri, nunc et in hora mortis nostrae, amen.

III. Ave Cor Domini Nostri Jesu Christi, aeterni Verbi regale solium, Dei Patris et Spiritus sancti voluptas: toto me offero te tibi et Patri et sancto Spiritui, pro toto me, ad gustum et voluptatem tuam, amen.

IV. OFFICIUM PARVUM SACRATISSIMI CORDIS JESU.[1])

Ad Matutinum.

Cor Jesu flagrans amore mei, inflamma cor meum amore Tui. Amen.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri et Filio et Spiritui sancto.

℟. Sicut erat in principio et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Hymnus.

COR VERI DEI.

Coeli decus, Cor nobile,
Quod munus es Mariae:

1) Ex Manuali Patris Schauenburg. Vide supra p. 229.

Digitized by Google

Perenne vitae gaudium,
Solatiumque mortis!
Te gaza sanctimoniae
Exornat universa:
Quin ipsa te Divinitas
Aeternus hospes implet.
O! rite si nunc noverim
Amare, me beatum,
Sed rite solum diligo
Hoc diligens Cor unum.

Ant. O Jesu, deficiat in te cor nostrum, ut sis Deus cordis nostri.

℣. O Jesu! quid est homo, quia magnificas eum;

℟. Aut quid apponis erga eum Cor tuum?

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui ineffabiles Cordis tui divitias novo amoris miraculo Ecclesiae tuae aperire dignatus es: per hunc ipsum amorem te supplices rogamus, da nobis amabilissimum hoc nostrique amantissimum Cor ita amare et redamare, ut simul etiam injurias ab ingratis mortalibus, praesertim in amoris sacramento, eidem illatas dignis obsequiis compensare valeamus. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen.

Ad Primam.

Cor Jesu flagrans amore mei, inflamma cor meum amore Tui. Amen.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri.

Digitized by Google

Hymnus.
COR FLAMMIS EXAESTUANS.

Quam pulchra scena panditur!
Solius est amoris.
Cor ecce, quod me diligit,
Meique amore flagrat.
O quanta vis incendii
Hoc ardet in recessu!
Sic Christe! quid felicius?
Me, Christe, sic amasti.
O rupe plus me saxeum,
Ferroque duriorem,
Haec flamma si non molliat
Impervium cor igni.

Ant. ℣. ℟. *et oratio, ut supra.*

Ad Tertiam.

Cor Jesu flagrans. Deus in adjutorium. Gloria Patri.

Hymnus.
COR CRUCE ONUSTUM.

Non est amator fervidus,
Qui perpeti recusat:
Unam foris Jesus crucem,
Sed mille gestat intus.
O quas Cor hoc angustias,
Quos pertulit dolores!
Plagas necemque barbaram
Semper, simulque sensit;
Sensitque pro me perfido;
Possumne non amare?
Augere possum vulnera?
Hanc gratiam rependo?

Ant. ℣. ℟. *et oratio, ut supra.*

Digitized by Google

Ad Sextam.

Cor Jesu. Deus in adjutorium. Gloria Patri.

Hymnus.

COR SPINIS CINCTUM.

Jam cerno plexam spineis
De frondibus coronam;
Hoc, hoc amoris praemium
Cor optimum reportat.
Patrata per me crimina
Hos nexuere sentes:
Crudelitatis barbarae
Nec poenitet cruentum?
Refigat ah! aculeos
Abominanda dextra,
Novasque cesset figere
In innocente spinas.

Ant. ℣. ℟. *et oratio, ut supra.*

Ad Nonam.

Cor Jesu. Deus in adjutorium. Gloria Patri.

Hymnus.

COR LANCEA VULNERATUM.

O dulcis, o beata sors,
Cor optimum patescit:
Hiat diremptum lancea,
Jubetque me venire.
Intrabo. Porta vulnus est:
Coelum patebit intus.
Hic fonte pleno gaudia
Potare jam licebit:

Digitized by Google

Sed, si quis hostis evocet,
Intus manebo surdus.
In rupe stat latescere:
Haec proteget latentem.

Ant. ℣. ℟. *et oratio, ut supra.*

Ad Vesperas.

Cor Jesu. Deus in adjutorium. Gloria Patri.

Hymnus.

COR SANGUINE ET AQUA MANANS.

Sperabo, quamvis impius:
Culpas lavare possum.
E corde fuso sanguini
Permixta manat unda.
Agnosco voces sanguinis
Undaeque: sunt amoris.
Convincor hisce testibus,
Me corde plus amari.
Cessemne nunc, et restitem?
Haec siccus intuebor?
Ah! ite tandem lacrimae,
Queis squallor eluatur.

Ant. ℣. ℟. *et oratio, ut supra.*

Ad Completorium.

Cor Jesu. Deus in adjutorium. Gloria Patri.

Hymnus.

COR IN SS. EUCHARISTIA NOBISCUM MANENS.

Quos, Christe, prodis denique
Ad terminos amoris?
Natura tota vertitur,
Degas ut usque mecum.

Digitized by Google

Uvae latex et triticum
Sanguis caroque fiunt,
Ut ipse te famelico
Potum cibumque tradas.
Ni corde toto diligam
Cor tale, sique laedam,
Diras nefastas sentiam,
Et sentiam perennes.

Ant. ℣. ℟. *et oratio, ut supra.*

Litaniae de amabilissimo Corde Jesu.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Christe audi nos. — Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus, — miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, — miserere nobis.
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Cor Jesu, Filii Dei vivi,
Cor Jesu, Filii Mariae Virginis,
Cor Jesu, a Spiritu sancto formatum,
Cor Jesu, habitaculum sacrosanctae Trinitatis,
Cor Jesu, Sanctuarium incarnati Dei,
Cor Jesu, reconditorium infinite pretiosi sanguinis,
Cor Jesu, sedes et instrumentum sanctissimorum motuum et affectuum,
Cor Jesu, in cujus potestate sunt omnium hominum corda,
Cor Jesu, ex omnibus cordibus perfectissimum,
Cor Jesu, magnes et centrum omnium cordium,
Cor Jesu, Cor secundum Cor Dei,
Cor Jesu, Deo dignum et incomprehensibile,
Cor Jesu, viri dolorum,

} Miserere nobis.

Digitized by Google

Cor Jesu, a primo momento formationis suae innumerabilibus doloribus obrutum,
Cor Jesu, in monte Oliveti timore, taedio et tristitia usque ad mortem angustiatum,
Cor Jesu, opprobriis saturatum,
Cor Jesu, ab ipso divino Patre in cruce derelictum,
Cor Jesu, pro ingratis hominibus mortuum,
Cor Jesu, lancea vulneratum,
Cor Jesu, usque ad ultimam aquae et sanguinis guttam exhaustum,
Cor Jesu, centrum omnium dolorum, quos vel anima vel corpus tuum unquam pertulit,
Cor Jesu, nobiscum in sanctissima Eucharistia habitans,
Cor Jesu, per multas saepe horas in templis nostris solum et ab hominibus relictum,
Cor Jesu, in sanctissimo Sacramento ab ethnicis, a judaeis, ab haereticis, a malis Christianis toties tam indigne habitum,
Cor Jesu, tutissimum contra iram Dei asylum,
Cor Jesu, pusillanimia corda hominum confortans,
Cor Jesu, munitissima turris in omnibus tentationibus,
Cor Jesu, certissimum omnium afflictorum refugium,
Cor Jesu, beatissima piarum animarum habitatio,
Cor Jesu, etiam maximis peccatoribus apertum,
Cor Jesu, corda tepidorum accendens,
Cor Jesu, solatium animae in hac vita peregrinantis,
Cor Jesu, medicina aegrotorum,
Cor Jesu, optimum viaticum morientium,
Cor Jesu, sapientibus hujus mundi absconditum et solis parvulis revelatum,
Cor Jesu, Cor optimi amici et consiliarii nostri,
Cor Jesu, Cor advocati et judicis nostri,

} Miserere nobis.

Digitized by Google

Cor Jesu, Cor Domini et Regis nostri,
Cor Jesu, Cor Redemptoris et Salvatoris nostri,
Cor Jesu, Cor primogeniti fratris et sponsi mei,
Cor Jesu, Cor patris nostri et plus quam patris,
Cor Jesu, ad nos amandos jam ab aeterno decretum et in tempore propterea formatum,
Cor Jesu, per sacram communionem nobis datum et donatum,
Cor Jesu, Cor secundum vota cordis nostri,
Cor Jesu, Cor magistri nostri,
Cor Jesu humillimum,
Cor Jesu mitissimum,
Cor Jesu sincerissimum,
Cor Jesu misericordissimum,
Cor Jesu fidelissimum,
Cor Jesu longanime,
Cor Jesu in bono vincens malum,
Cor Jesu liberalissimum,
Cor Jesu virgineum,
Cor Jesu etiam erga inimicos benevolum,
Cor Jesu innocentissimum,
Cor Jesu, exemplar perfectissimum abnegationis et mortificationis,
Cor Jesu per orationem Deo conjunctissimum,
Cor Jesu, pro gloria Dei et animarum salute zelosissimum,
Cor Jesu, amore Dei et hominum flagrantissimum,
Cor Jesu, Dei sanctitate sanctum,
Cor Jesu, regula omnium cordium,

} Miserere nobis.

Cor Jesu, agni Dei, qui tollit peccata mundi, parce nobis.
Cor Jesu, agni Dei, qui tollit peccata mundi, exaudi nos.
Cor Jesu, agni Dei, qui tollit peccata mundi, miserere nobis.

Digitized by Google

℣. Redite praevaricatores ad Cor.

℟. Et facite vobis cor novum.

Oremus.

Respice, quaesumus, misericordissime Deus, in Cor Jesu dilectissimi Filii tui, in quo tibi bene complacuisti, ejusque sanctissimi Cordis doloribus, quos nostri amore pertulit, et dignis satisfactionibus, quas pro nobis tibi persolvit, placatus, concede contrito corde petentibus nostrorum veniam peccatorum, et tanto Jesu amore cor nostrum accende, ut divini sui Cordis affectibus toti incensi, novo jam corde nihil aliud desideremus et amemus, quam te Deum cordis nostri, qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Piae querelae ad Cor Jesu de proprio corde.

(Ex P. Schauenburg.)

Jesu Cor almum numinis
Solatiumque cordis!
Attende, quae suspiria
Hoc corde proferantur:
Solo tamen de me queror.
Te non amo, o amandum!
Teque, o Olympi gaudium!
Contristo mille culpis.
Rapit voluptas quaelibet
Hoc pectus ad sinistra,
Tibique soli debitum
Rebellione complet;
At te, Cor o dulcissimum!
Munusculum petente,
Riget cor hoc immobile,
Duroque par metallo.

Digitized by Google

Scio, meretur fulmina,
Sed intuere clemens!
Mutetur eja dante te:
Sit gratiae trophaeum.
Exclude cuncta caetera,
Arce profana sceptra:
Tu Christe! solus impera,
Tu solus hic triumpha.
Sit hoc tuum cubiculum,
Sit hoc tuum sacellum:
Tu come, munda, consecra,
Tibique fac decorum.
Te solus illic alloquar
Attentus alloquenti:
Amplectar, astringamque te,
Et usque, et usque amabo.

V. OFFICIUM PARVUM SS. CORDIS JESU.[1])

Invitatorium.

Venite coeli milites,
Afferte Cordi corda:
Huc advolate coelites,
Suavi sonate chorda.

His omnis orbis incola
Te junge grato corde,
Dignasque laudes immola
In jubilo concorde.

In cithara dulcedinis
Et caritate laetus

1) Ex Pericardio M. L. Eberlein. Vide supra p. 548.

Digitized by Google

Cor cordium, Cor Numinis
Supplex adoret coetus.

Venite sacris cantibus
Cor Numinis libate,
Illudque totis cordibus
Animitus amate.

Fugate diras furias,
Cor Jesu vindicate,
Ejusque vos injurias
Amore compensate.

Ad Matutinum.

Domine labia mea aperies.
℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam,
℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
℣. Gloria Patri.

Hymnus.

Quae vis Cor almum Numinis
Hac te coegit sorte,
Ut fons cruenti fluminis
Submergeret te morte?

Quis aestus ille mysticus
Quis te coquebat ignis,
Ut panis eucharisticus
Fieres stupendis signis?

Quid quaeris? ardens caritas
Cor Numinis peremit:

Digitized by Google

Ejusque mira suavitas
Hoc triticum coemit.

Incendiis aequalibus
O Cor clientes ure
Et nos in illis ignibus
Totaliter combure.

Ant. Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis.

℣. Inflammatum est cor meum.

℟. Et renes mei commutati sunt.

Oremus.

Jesu sponse animarum rubicunde, exaestuans Cordis tui amor rubore suffundat tepida corda nostra: fac, ut in meditatione tanti tui amoris in cordibus nostris exardescat flamma amoris tui: immittimus gelida corda nostra in Cor tuum, quod est clibanus amoris ardentissimus, ut in eo scoria terreni amoris purgati immutentur renes nostri, et eo dilectionis ardore inflammentur corda nostra, ut potius mori eligamus, quam eidem Cordi tuo displicere. Qui vivis et regnas.

Ad Laudes.

℣. Deus in adjutorium. Gloria Patri.

Hymnus.

Cor prodigum bullantibus
Fundis cruorem venis,
Vitamque das amantibus
Rimis amore plenis.

Ut ultimam des guttulam
Misces aqua cruorem:
Ut ultimam des stillulam
Hunc eluis liquorem.

Digitized by Google

Omnis boni compendium
Ex Corde Jesu manat,
Salutis hinc stipendium,
Largo canali donat.

Hoc, Cor! beato flumine
Tuos riga clientes,
Et hoc salubri sanguine
Nostras decora mentes.

Ant. Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit.

℣. Pavit eos in innocentia Cordis sui.

℟. Et in intellectibus manuum suarum.

Oremus.

Jesu liberalissime Pater animarum nostrarum, qui aperto ditissimo Cordis tui gazophylacio omnes ad te accendentes ditas abundantia tuorum bonorum: ecce confugio ad Cor tuum, ad hoc gratiarum mare, unde vita et salus nostra emanavit: ablue me salutifera aqua, quae effluxit de Corde tuo: ciba et pota me tuo sanguine, quem nobis propinat amor Cordis tui in Sacramento amoris: o Cor prodigum, prodigum recipe filium, tuis divitiis paupertatem meam subleva: et me annulo tui amoris exorna: o Jesu, dona mihi Cor tuum, et dives sum satis, nec aliud quidquam a te postulo. Qui vivis.

Ad Primam.

Deus in adjutorium.

Hymnus.

Fugit Cor Jesu vilium
Deliciarum coenum

Digitized by Google

Argenteum ceu lilium,
Et puritate plenum,

Candente fulget ebore
Ut virgines decoret;
Albet Cor agni vellere,
Ut virgines exornet.

Sinu Cor ortum Virginis,
Casti domus amoris,
Hic innocentem protegis
Apiculam pudoris.

O Cor tibi nos insere,
O fibra castitatis!
Et inde nos fac crescere
Candore puritatis.

Ant. Perambulabam in innocentia cordis mei in medio domus meae.

℣. Non adhaesit mihi Cor pravum.

℟. Declinantem a me malignum non cognoscebam.

Oremus.

O Jesu, animarum sponse castissime, decora corda nostra divini Cordis innocentia, et propter admirandam Cordis tui puritatem, cor mundum et novum in nobis crea, ut omnes carnis delicias fastidientes in Corde tuo habitemus, quod est candidissimum castarum apum alveare: da, ut in munito Cordis tui propugnaculo fortiter hostis impuri conatus infringamus, et pro tui Cordis gloria feliciter et generose puritatem cordis nostri ad imitationem ejusdem Cordis tui conservemus. Qui vivis.

Digitized by Google

Ad Tertiam.

Deus in adjutorium. Gloria Patri.

Hymnus.

Cor languidum, Cor debile,
Deficiens in morte:
Cor regium, Cor nobile
Ut cor leonis forte.

Cor splendidum, Cor maximum,
Ab Angelis amatum:
Cor infimum, Cor ultimum
Ab omnibus calcatum.

Cor parvulum, sol nubilus:
Humilitatis culmen:
Ambitionis malleus
Superbiaeque fulmen.

Submissionis gratia
O Cor clientes dita,
Ut parvulorum gloria
Tumens dometur vita.

Ant. Discite a me, quia mitis sum et humilis Corde, et invenietis requiem animabus vestris.

℣. Accedet homo ad Cor altum.

℟. Et exaltabitur Deus.

Oremus.

Jesu, humillime animarum magister, introduc animas nostras in Sacratissimum Cor tuum, quod est virtutum omnium academia: in hac doce nos virtutes Cordis tui humilitatem et mansuetudinem, ut in oculis nostris parvuli magnisimus in Corde tuo, quod exaltat humiles, et superbos de-

Digitized by Google

ponit. Da, o humillime Jesu, per Cor tuum, quod est humilitatis domicilium, ut non vana saeculi gloria seducti in altis nidum ponamus, sed in humili Corde tuo requiem animabus nostris inveniamus. Qui vivis.

Ad Sextam.

Deus in adjutorium.

Hymnus.

Pastoris almi corculum
Est molle quasi cera,
Est caritatis paculum,
Et suavitatis pera.

Hoc Cor redundat nectare,
Et melle lenitatis:
Hoc nascitur de pectore
Oliva comitatis.

In Corde Jesu solium
Benignitas exstruxit,
Quo lenitatis oleum
Tam copiose fluxit.

Inunge Cor mitissimum
Me melleo liquore,
Ut cor meum durissimum
Liquescat ex amore.

Ant. Factum est cor meum tamquam cera liquescens in medio ventris mei.

℣. Mementote istud, et confundimini.

℟. Redite praevaricatores ad Cor.

Oremus.

Suavissime Jesu, ecce, ego miser peccator revertor ad Cor tuum amore mei liquefactum: ah! mirifica misericordiam

Digitized by Google

Cordis tui in me tanto peccatore: effunde oleum misericordiae tuae, quod tam copiose de oliva Cordis tui emanat, ut vulnus scelerum meorum coalescat, ego vero inunctus gratia Cordis tui incipiam ambulare de virtute in virtutem: en ad Cor tuum revertor plenus confusione, quod Cor adeo amabile hactenus non dilexerim: fateor iram merui, sed hanc ut evitem ad Cor tuum confugio, quod est omnium peccatorum asylum, in hoc Corde me protege ab ira aeterni Patris, cum quo vivis etc.

Ad Nonam.

℣. Deus in adjutorium.

Hymnus.

En Cor tenellum sentibus
Horrens rubetum cingit,
Sanguineis coloribus
Illud furor depingit.

Longinus est hic artifex,
Qui lancea sic pingit.
Erro: recens en carnifex
Ferrum cruore tingit.

Tu, Cor resumptis ictibus
Ingrate transfixisti,
Cor impium tu sentibus
Cor innocens cinxisti.

O Cor coerce perfidum
Mortalium furorem,
Ut ille mox dulcissimum
Vertatur in amorem.

Digitized by Google

Ant. Unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua.

℣. Tribulationes Cordis mei multiplicatae sunt.

℟. De necessitatibus meis erue me.

Oremus.

Patientissime Jesu, qui praestabilis es super malitia hominum, qui vel hodie per impia probra, contemptus, irrisiones, ac sacrilegia Cordis tui multiplicant dolores: te per Cor tuum supplices deprecamur, ut efficaci tua gratia velis furorem nostrum cohibere, ne vulnus Cordis tui ultra ingratitudinis lancea renovemus, sed potius ingenti caritate injurias ab ingratis mortalibus Cordi tuo illatas per majora dilectionis et pietatis opera studeamus reparare. Qui vivis.

Ad Vesperas.

Deus in adjutorium.

Hymnus.

O Cor solemnis hostia
Amoribus cremata,
Pacis recludis ostia
In cruce consecrata.

Cor laeta coeli janua
Patens salutis porta:
Cor grata Patri victima,
Qua vita nobis orta.

Haec porta patet impio,
Licet veniret sero,
Modo revertat serio
Dolore cordis vero.

Digitized by Google

Cor fulgurante Numine
Nobis asylum praebe:
Defende nos a fulmine
Securitatis Phaebe.

Ant. Miseretur Deus secundum multitudinem misericordiarum suarum: non humiliavit ex Corde suo, et abjecit filios hominis.

℣. Conversum est cor meum.

℟. Pariter conturbata est poenitudo mea.

Oremus.

Mansuetissime Jesu, qui non nisi Corde invito peccatores punis, cujus Cor quam primum peccator ingemiscit, convertitur, emollescit, sententiam mutat, et poenam revocat: en ingemiscit anima mea, quae fuit seducta sicut columba non habens cor: ah! etsi sero veniat, serio tamen et vere contrito corde venit: introduc eam per ostium salutis, per plagam tui Cordis ad Cor tuum, ut in hoc foramine petrae defendatur ab infernali accipitre. Qui vivis.

Ad Completorium.

℣. Converte nos Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam a nobis.

℣. Deus in adjutorium.

Hymnus.

Faustissimo jam omine
Vetus resurget fervor:
In Cordis hujus nomine
Primus redibit ardor.

Tepor recedit mentibus
Hoc oriente sole,

Digitized by Google

Amorque rursus cordibus
Succedet ampla mole.

Ut luce noctes abigat,
Haec stella se revelat:
Ut omne frigus arceat
Haec aetna flammas jactat.

O Cor, gelu socordium
Tuus resolvat ardor:
Fac vim: frigusque cordium
Tuus repellat amor.

Ant. Cor suum dabit in consummationem operum, et vigiliam suam ornabit in perfectionem.

℣. Projicite a vobis praevaricationes vestras.

℟. Et facite vobis cor novum.

Oremus.

O Jesu, restaurator universi, ecce infelix illud advenit tempus, in quo abundavit iniquitas, et refrixit caritas: ah! per cultum Cordis tui, quem his miseris temporibus in remedium tot malorum revelare dignatus es, instaura et renova corda nostra: reduc aurea primae caritatis saecula: crea terram novam, et nova fac omnia, ut novo caritatis ardore, qui ardet in Corde tuo, vetustas criminum aboleatur, et corda nostra tui amore succendantur. Qui vivis.

Commendatio.

Hymnus.

Cor candidum, quod vulnere
Velut fenestra patet,
Ut sic aperto pectore
Monstret, quod intus latet.

Digitized by Google

En candido de pectore
Haec supplex reddo vota,
Ut tota mens cum corpore
Fiat tibi devota.

Assume, supplex obsecro,
Cordis medullam totam,
Quam corde toto consecro
Tuo cruore lotam.

Ah! nunc amoris victima
Pro Corde Jesu cado:
Dum quaeque cordis intima,
Pro Corde Jesu trado.

Ant. Numquid est cor tuum rectum, sicut Cor meum cum Corde tuo?

℣. Tribuat tibi Deus secundum cor tuum.

℟. Et omne consilium tuum confirmet.

Oremus.

Sincerissime Jesu, candide animarum amice, rectum est cor meum cum Corde tuo: nam, etsi minus te diligam, magis te et magis amare cupio; hinc toto cordis affectu me totum Cordi tuo offero ac consecro. Ah! quam sero te amavi, Cor dulcissimum: ah! infelix hora, quae te non amavi; infelix momentum, quod non insumpsi ad tui gloriam! Sed longe absit a me haec infelicitas: omne vitae momentum, omnem vitae meae spiritum tuo amori dedico. Prosequere o Cor sincerissimum sincerissimam hanc meam voluntatem benignissima tua pietate: placeat tibi conatus meus: succurre mihi efficacissima tua gratia: confige me tui amoris jaculo et fac me potius omnibus mundi malis obrui, quam ut ullum contra te peccatum admittam: da ut in posterum

Digitized by Google

vivam, et moriar in amore Cordis tui, suavissime Jesu. Qui vivis.

Litaniae de SS. Corde Jesu.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Christe audi nos. — Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus,
Fili Redemptor Mundi Deus,
Spiritus sancte Deus,
Jesu mitis et humilis Corde,
Jesu, cujus Cor est perfecta divinae caritatis imago,
Jesu, cujus Cor est origo divinae dilectionis,
Jesu, cujus Cor est compendium omnis boni,
Jesu, cujus Cor est officina salutis,
Jesu, cujus Cor est coelum animatum,
Jesu, cujus Cor est condignum Trinitatis habitaculum,
Jesu, cujus Cor est vitae theca,
Jesu, cujus Cor est gratiarum abyssus,
Jesu, cujus Cor est Rex cordium,
Jesu, cujus Cor est centrum animarum,
Jesu, cujus Cor est cor universi,
Jesu, cujus Cor est juge amoris holocaustum,
Jesu, cujus Cor est clibanus amoris,
Jesu, cujus Cor est foramen petrae,
Jesu, cujus Cor est Sanctum Sanctorum,
Jesu, cujus Cor est arca foederis,
Jesu, cujus Cor est civitas solis,
Jesu, cujus Cor est Cor piscis, quod extricat omne genus daemoniorum,
Jesu, cujus Cor est pretiosa margarita,
Jesu, cujus Cor est thesaurus absconditus,

Miserere nobis.

Digitized by Google

Jesu, cujus Cor est hortus deliciarum spinis circumseptus,
Jesu, cujus Cor est refugium peccatorum,
Jesu, cujus Cor est unica salus afflictorum,
Jesu, cujus Cor est vita justorum,
Jesu, cujus Cor est felicitas sanctorum,
} Miserere nobis.

Propitius esto, parce nobis Jesu,
Propitius esto, exaudi nos Jesu
A duplici corde,
A corde duro,
A corde superborum,
A corde levi,
A corde impoenitente,
A tribulatione et angustia cordis,
A caecitate cordis,
Per Cor tuum amore liquefactum,
Per sinceritatem candidissimi Cordis tui,
Per agones desolati Cordis tui,
Per vulnus lanceati Cordis tui,
Per dolores morientis Cordis tui,
Per majestatem divini Cordis tui,
Per innocentiam Sanctissimi Cordis tui,
Per misericordiam suavissimi Cordis tui,
Per fidelitatem constantissimi Cordis tui,
Per patientiam dolorosi Cordis tui,
Per animositatem generosi Cordis tui,
Per humilitatem excelsi Cordis tui,
Per mansuetudinem amabilissimi Cordis tui,
Per candorem aperti Cordis tui,
Per liberalitatem reserati Cordis tui,
Per sanguinem et aquam transfixi Cordis tui,
Per dulcedinem mellei Cordis tui,
} Libera nos Jesu.

Digitized by Google

Per injurias, quas vel hodie Cor tuum sustinere cogitur,
Per crucem, spinas et flammas Cordis tui,
Per thesaurum ditissimi Cordis tui,
Per Deum Cordis tui,
Peccatores,
Ne cogitatio cordis nostri intenta sit ad malum,
Ut te toto corde diligamus,
Ut simus juxta Cor tuum,
Ne simus gravi corde,
Ut omni custodia servemus cor,
Ut simus possessores cordis nostri,
Ut Cor boni consilii nobiscum statuamus,
Ut redeamus praevaricatores ad Cor,
Ne simus sicut columba seducta non habens cor,
Ne faciamus moerere Cor Justi,
Ut simus cor unum et anima una,
Ut Deus mittat Spiritum Filii in corda nostra,

Libera nos Jesu. — Te rogamus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: parce nobis Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: exaudi nos Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: miserere nobis Jesu.
Jesu Christe audi nos. — Jesu Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison. — Pater Noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Jesu mitis et humilis Corde.
℟. Fac cor nostrum secundum Cor tuum.

Oremus.

Respice, quaesumus, *ut supra pag. 737.*

Digitized by Google

VI. OFFICIUM PARVUM SS. CORDIS JESU.

Ad Matutinum.

Invit. Cor Jesu, amore nostri vulneratum, esto ab omnibus et semper amatum.

℣. Domine labia mea aperies.

℟. Et os meum annuntiabit laudem Cordis tui.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri.

Hymnus.

Cor dulce Jesu, germinans
Alvo Mariae pura
Per septiformem Spiritum,
Mundi salus secura;
Vitalis o fons Sanguinis
Beata Verbi caro,
Abyssus omnis gratiae,
Si non te, quem amabo?

Ant. Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum Cor tuum?

℣. Ecce Deus Salvator meus!

℟. Fiducialiter agam, et non timebo.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

Oremus.

Concede, quaesumus, omnipotens Deus, ut qui in sanctissimo dilecti Filii tui Corde gloriantes praecipua in nos caritatis ejus beneficia recolimus, eorum pariter et actu delectemur et fructu. Per eundem,

℣. Domine exaudi. ℟. Et clamor meus.

Digitized by Google

℣. Benedicamus Domino. ℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animae per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

Ad Primam.

℣. Deus in adjutorium. Gloria.

Hymnus.

O quanta vis incendii
In Corde Jesu flagrat;
Erumpit hinc, et victimam,
Ipsum viden'? inflammat!
O durius cor silice,
Ferroque, quod divini
Non flamma Cordis molliat,
Non tanto liquet igni.

Ant. Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.

℣. Ignem veni mittere in terram.

℟. Et quid volo, nisi ut accendatur.

℟. Domine exaudi etc. *ut supra.*

Ad Tertiam.

℣. Deus in adjutorium. Gloria.

Hymnus.

Cor Jesu bajulat crucem
Multo gravem dolore,
Quem semper et simul tulit
Nostri flagrans amore:
Non est amator fervidus,
Si quis pati recuset.

Digitized by Google

Opprobria, plagas, crucem
Pro Christo ferre juvet.

Ant. Improperium expectavit Cor meum et miseriam; et sustinui, qui simul mecum contristaretur, et non fuit, et qui consolaretur, et non inveni.

℣. Vere languores nostros ipse tulit.
℟. Et dolores nostros ipse portavit.
℣. Domine exaudi etc. *ut supra.*

Ad Sextam.

℣. Deus in adjutorium. Gloria.

Hymnus.

Suave Cor, quod languidos
Solatur et sustentat,
Corona diris spinea
Aculeis cruentat:
Ingrata cessent crimina,
Quae nexuere sentes,
Dolorque pungat intima,
Revincat ardor mentes.

Ant. Vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra.

℣. Disciplina pacis nostrae super eum.
℟. Et livore ejus sanati sumus.
℣. Domine exaudi etc. *ut supra.*

Ad Nonam.

℣. Deus in adjutorium. Gloria.

Hymnus.

Beata sors, amantibus
Cor dulce Jesu patet,

Digitized by Google

Hiat diremptum lancea,
Et prae amore languet:
Intrabo, hic refugium
Quassata mens habebit,
Hic ore pleno gaudia
Haurire jam licebit.

Ant. Ad Jesum quum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit.

℣. Sicut laetantium omnium habitatio est in te.

℟. Quia melior est dies una in atriis tuis super millia.

℣. Domine exaudi etc. *ut supra.*

Ad Vesperas.

℣. Deus in adjutorium. Gloria.

Hymnus.

E Corde Jesu Sanguini
Permista lympha manat,
Delicta gentis abluit
Et aegra corda sanat:
Sperabo, quamvis impius
Hanc ipse fudi lympham;
Fundam doloris lacrimas,
Peccata derelinquam.

Ant. Unus militum lancea latus Jesu aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua.

℣. Haurietis aquas in gaudio.

℟. De fontibus Salvatoris.

℣. Domine exaudi etc. *ut supra.*

Digitized by Google

Ad Completorium.

℣. Ignem tui amoris.
℟. Accende, Cor Jesu, in cordibus nostris.
℣. Deus in adjutorium. Gloria.

Hymnus.

Cor usque Jesu vult viae
Nostrae comes manere,
Malis onusta corda vult
Praesens pie fovere;
Vinum panisque Domini
Fit sanguis atque caro.
His pascit in convivio
Mirabili, praeclaro.

Ant. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo.

℣. Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis.
℟. Et ego reficiam vos.
℣. Domine exaudi etc. *ut supra.*

COMMENDATIO.

Hymnus.

Quos Christe prodis ultimos
Ad terminos amoris,
Qui Cor tuum amabile
Donas, revelas nobis!
Tu nostra rursus accipe
Et ure corda flammis;
Pro te pati et agere
Da cunctis vitae annis.

Ant. Discite a me, quia mitis sum et humilis Corde, et invenietis requiem animabus vestris.

Digitized by Google

℣. Jugum meum suave est.
℟. Et onus meum leve.

Oremus.

Fac nos, Domine Jesu, sanctissimi Cordis tui virtutibus indui et affectibus inflammari: ut et imagini bonitatis tuae conformes, et tuae Redemptionis mereamur esse participes. Qui vivis.

Litaniae de SS. Corde Jesu.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Christe audi nos. — Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus, — miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, — miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, — miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, — miserere nobis.
Cor Jesu, de purissimo sanguine in utero Virginis Mariae formatum,
Cor Jesu, Divinitatis sanctuarium,
Cor Jesu, Sanctitatis templum,
Cor Jesu, sedes magnitudinis et majestatis Dei,
Cor Jesu, in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae,
Cor Jesu, thronus amoris Dei,
Cor Jesu, fons omnium gratiarum,
Cor Jesu, pax et reconciliatio peccatorum,
Cor Jesu, fons aquae salientis in vitam aeternam,
Cor Jesu, hostia vivens, sancta, Deo placens,
Cor Jesu, in quo sibi Pater aeternus complacuit,
Cor Jesu mitissimum,
Cor Jesu humillimum,
Cor Jesu obedientissimum,[1]

} Miserere nobis.

Digitized by Google

Cor Jesu castissimum,
Cor Jesu, incendium inextinguibile amoris,
Cor Jesu, origo contritionis,
Cor Jesu, bonitatis oceanus,
Cor Jesu, misericordiae abyssus,
Cor Jesu, in horto sudore sanguineo debilitatum,
Cor Jesu, voluntati Patris aeterni conforme et resignatum,
Cor Jesu, opprobriis saturatum,
Cor Jesu, propter scelera nostra attritum,
Cor Jesu, usque ad mortem obediens factum,
Cor Jesu, amaritudine in agonia repletum,
Cor Jesu, doloribus totius corporis oppressum et sauciatum,
Cor Jesu, lancea perforatum,
Cor Jesu, in cruce sanguine exhaustum,
Cor Jesu, in ara crucis pro nobis propitiationis victima,
Cor Jesu, etiamnum ab ingratis hominibus in sacrosancto amoris Sacramento dilaceratum,
Cor Jesu, refugium peccatorum,
Cor Jesu, fortitudo justorum,
Cor Jesu, consolatio afflictorum,
Cor Jesu, robur tentatorum,
Cor Jesu, terror daemonum,
Cor Jesu, sanctificatio cordium,
Cor Jesu, perseverantia bonorum,
Cor Jesu, requies animarum sanctarum,
Cor Jesu, refugium nostrum in tribulatione,
Cor Jesu, salus in te sperantium,
Cor Jesu, spes morientium,
Cor Jesu, gaudium et deliciae beatorum,

} Miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — parce nobis Domine.

Digitized by Google

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — miserere nobis.
Christe audi nos. — Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem,
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Cor Jesu, flagrans amore nostri.
℟. Inflamma cor nostrum amore tui.

Oremus.

Ad sacratissimum Cordis tui vulnus, o amabilissime Jesu, omnia cordium nostrorum vota et desideria conferimus, atque per infinitam bonitatem tuam suppliciter te rogamus ac petimus, corda nostra Cordi tuo aeternum adstringe, ut tibi vivamus et in te moriamur. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Canticum doloris et amoris de Corde Jesu.

(Ex P. Schauenburg.)

1.

Huc adesto invitatus,
Quisquis excors non es natus!
Magnum Jesu Cor canamus;
Nostra illo accendamus.
Corde hoc si non moveris,
Frigidus si intueris,
Durum homo marmor es,
Et in corde riget aes.

2

O quam dulces hic amores!
O quam acres hic dolores!

Digitized by Google

Gleba vilis! te amavit:
Gens scelesta! te ploravit.
Corde hoc si non moveris etc.

3.

Nostrae plenum Cor salutis!
Ut liceret esse tutis,
Nobis dare fuit votum
Vitam, sanguinemque totum.
Corde hoc si non moveris etc.

4.

Spinis caput perforatur:
Pes, manusque terebratur:
Plures tamen et majores
Perfodere Cor dolores.
Corde hoc si non moveris etc.

5.

Nondum Jesu! te ligarunt,
Nondum hostes accusarunt,
Cor praegustans suam sortem
Tota vita tulit mortem.
Corde hoc si non moveris etc.

6.

In praesepi quum jacebas,
Necis vim praesentiebas:
Luctu Cor replebant gravi
Sputa, flagra, spinae, clavi.
Corde hoc si non moveris etc.

Digitized by Google

7.

En! ut Cor in horto tremit,
En! ut moribundum gemit:
Sed hoc pelagus moeroris
Vincit ardens fax amoris.
Corde hoc si non moveris etc.

8.

Vincit amor sed cruentus:
Sanguis nullus est inventus,
Quin per venas penetraret,
Et tributum sui daret.
Corde hoc si non moveris etc.

9.

Nunc ad necem abit gaudens,
Suo Jesus fini plaudens.
Hostis! quantumcunque fures,
Cor aerumnas sitit plures.
Corde hoc si non moveris etc.

10.

Obvius se turbis tradit,
Laetus ad flagella vadit:
Sentes, maledicta, crucem
Suam putat esse lucem.
Corde hoc si non moveris etc.

11.

Homo! ubi cor est tuum?
Homo! Deus litat suum,
Et hoc Cor non redamabis,
Neque cor pro Corde dabis?
Corde hoc si non moveris etc.

Digitized by Google

12.

Sed quid cerno? En athletam
Summi ad amoris metam!
Jesus ecce crucem scandit:
Amor Cor, non hasta pandit.
Corde hoc si non moveris etc.

13.

Eja gaude Christi coetus!
Vulnera haec subi laetus:
Jesu mi: in his vivendum,
Ah in his est moriendum!
Corde hoc si non moveris etc.

14.

His cavernis immorabor;
Quidquid opto, hic lucrabor:
His exultans me immergam:
Luctum omnem hic abstergam.
Corde hoc si non moveris etc.

15.

Cor amatum! sit novarum
Tandem finis gratiarum:
Post tot mala refloresce,
Inter gaudia quiesce.
Corde hoc si non moveris etc.

16.

At non ita: Cor se velat,
Novo se invento celat:
Jesus esca fit ac potus,
Semper ut sit noster totus.
Corde hoc si non moveris etc.

Digitized by Google

17.

Panis abit, vinum fugit:
Sanguinem os nostrum sugit:
Corde illo satiatur,
Coeli civis quo laetatur.
Corde hoc si non moveris etc.

18.

Ecquis amans sic amavit?
Corde suo quis te pavit?
Vitam tuam ut servaret,
Cibum se quis tibi daret?
Corde hoc si non moveris etc.

19.

Filii Adami patris!
Vestri Cor videte Fratris.
Ideone haec auditis,
Tigrides ut dirae sitis?
Corde hoc si non moveris etc.

20.

Cor tam amans non amatur:
Cor tam sanctum violatur:
Ubi? Sua heu in sede,
Sua laeditur in aede.
Corde hoc si non moveris etc.

21.

Quidquid uspiam peccatur,
Id in templis perpetratur:
Hanc mercedem fers, o Deus!
Sic amaris, amor meus!
Corde hoc si non moveris etc.

Digitized by Google

22.

Non Pilatus, non Judaei,
Barbari non tam sunt rei:
Vah! indignus Christianus
Est prae illis inhumanus.
Corde hoc si non moveris etc.

23.

Ah ne ultra rebellemus!
Corde toto Cor amemus:
Culpas omnes eluamus,
Probrum omne deleamus.
Corde hoc si non moveris etc.

24.

Quam te arcte Cor hoc stringet!
Quam te totum mox refinget!
O quam te habebit carum
Non jam memor aerumnarum.
Corde hoc si non moveris etc.

VII. OFFICIUM PARVUM SS. CORDIS JESU.

Ad Matutinum.

℣. Amor Cordis Jesu accendat pracordia nostra.
℟. Amen.
℣. Deus in adjutorium. ℟. Domine. Gloria Patri.

Hymnus.

O Cor Jesu adorandum,
Sacro thure venerandum,
Flexis dignum genibus!
Cultus tuus, fac, vulgetur,
Nomen et sanctificetur
Cunctis terrae finibus.

Digitized by Google

Antiph. Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum; concupiscit et deficit anima mea in atria tua.

℣. Cordis Jesu clementia

℟. Exsolvat nostra debita.

Oremus.

Dispone, quaesumus, Domine, voluntates nostras secundum Cor Unigeniti tui, ut ejus exemplo id unice semper velimus et operemur, quod placitis tuis tuaeque gloriae respondeat incremento. Per eundem D. N. J. Ch.

Ad Primam.

℣. Amor. ℟. Amen. Deus. Gloria.

O Cor Jesu voluptate
Plenum et amoenitate,
Princeps coeli jubilus!
Adveniat, ut precamur,
Regnum tuum, quo fruamur
Aeviternis plausibus.

Ant., ℣., ℟., Orat. *ut supra.*

Ad Tertiam.

℣. Amor. ℟. Amen. Deus. Gloria.

O Cor Jesu, cujus velle
Jugum leve; plusquam melle
Est mandatum dulcius.
Fiat semper, *ut in coelis*,
Sic in terra, tu quod velis;
Nil hoc fiet melius.

Ant., ℣., ℟., Orat. *ut supra.*

Ad Sextam.

℣. Amor. ℟. Amen. Deus. Gloria.

Digitized by Google

O Cor Jesu animorum
Quin et corporis languorum
Penus refertissima!
Panem da quotidianum,
Mens corpusque ne in vanum
Mundi quaerant pabula.
Ant., ℣., ℟., Orat. *ut supra.*

Ad Nonam.

℣. Amor. ℟. Amen. Deus. Gloria.
O Cor Jesu salutare,
Nec accessum quod negare
Soles peccatoribus;
Nobis debita Cor mite
Ita, quaesumus, *dimitte*,
Sicut nos dimittimus.
Ant., ℣., ℟., Orat. *ut supra.*

Ad Vesperas.

℣. Amor. ℟. Amen. Deus. Gloria.
O Cor Jesu cynosura
Nobis tutos per obscura
Coeli monstrans aditus:
Ne in fletuum hoc mari
Plus permitte nos tentari,
Ferre quam sufficimus.
Ant., ℣., ℟., Orat. *ut supra.*

Ad Completorium.

℣. Amor. ℟. Amen. Deus. Gloria.
O Cor Jesu, quod cunctorum
Bona contines bonorum,
Nos a malo libera,

Digitized by Google

Corpus spectet sive mentem;
Fac, sequatur hanc praesentem
Vita tandem coelica.

Ant., ℣., ℟., Orat. *ut supra.*

Conclusio.

Hymnus.

O mi Jesu! sicut tuum
Jam in corde meo suum
Fixit Cor signaculum:
Sic has preces ex condigno
Cordi tuo reconsigno
Nunc et in perpetuum. Amen.

Ant. Tibi laus, tibi honor, tibi gloria, o amantissime Jesu, qui dedisti Cor tuum nobis, ut per ipsum te et Patrem cum sancto Spiritu digne diligere, laudare et adorare mereamur.

℣. Vivat Cor Jesu Rex cordium.

℟. Et regnet super omnia corda in aeternum.

Oremus.

Da nobis, quaesumus, Domine, in sanctitate tua per Cor dilectissimi Filii tui ita creaturis omnibus mori, ut totis animae nostrae viribus ad te suspirantes cum Beata Virgine Maria et omnibus Sanctis conversatio nostra sit in Corde Unigeniti tui, ubi mundanorum oblita magnificet anima nostra Dominum, et cum eis exultet spiritus noster in Deo salutari suo. Per eundem D. N. J. Ch.

Digitized by Google

§. II.

Preces sodalitiae in honorem SS. Cordis Jesu.

Sanctum piarum animarum FOEDUS circa cultum Divinissimi Cordis Jesu in sanctissima Eucharistia.

Foedus hoc, quod ex Gallia ortum habet,[1]) *et praesertim in collegiis ecclesiasticis viget, foedus est amoris sine ulla obligatione inter pios homines initum, quo quotidie (certis inter se partitis horis, vel, si hoc fieri nequeat, singuli commodo sibi tempore) sanctissimum Cor Jesu in Eucharistia nobis relictum adeunt, et eo, qui sorte vel electione ipsis obtigit, virtutis actu amabilissimum Cor etiam reliquorum foederatorum nomine devenerantur. Actus autem virtutum, in quas confoederati conveniunt, sunt quinque:* Adoratio, gratiarum actio, amor, deprecatio, petitio. *Inter ipsos foederatos ordinarie ita vices mutantur, ut semper alius et alius ex dictis quinque actibus sive singulis hebdomadis, sive etiam mensibus a confoederatorum singulis quotidie persolvatur; quamvis etiam non pauca foedera extent, in quibus omnes et singulos quinque harum virtutum actus exerceant. Si Cor Jesu tibi cordi sit, inito et tu cum familia tua, cum domesticis, cum amicis tuis etc. foedus ejusmodi, et crede mihi, magnam illud et tibi et confoederatis tuis benedictionem de coelo afferet. Certe, ubi haec sancta foedera erecta sunt, innumera in foederatos beneficia a clementissimo Corde proficisci, experientia constanti habetur. Caeterum ex foederatis nullus*

1) Vide supra pp. 409 seqq.

Digitized by Google

sit, qui non imaginem Cordis Jesu domi suae habeat, ut, si forsan ea exire et ipsum verum Cor Jesu in templo nobiscum habitans visitare nequeat, saltem coram illius imagine foederis sui tributum persolvere valeat: quod quidem etiam ideo addo, quia abunde constat, Jesum speciali favore eos prosequi, qui sanctissimum Cor suum vel in imagine colunt.[1])

Adoratio.

Cor Jesu, summi Dei verum Cor, Deoque dignissimum, et aeterno Verbo indissolubili nexu conjunctum! Tu me justissimum debitae Tibi adorationis tributum deferre conantem adjuva. Ecce infinitam tuam dignitatem et excellentiam pronus agnosco, et coram toto mundo profiteor, Teque quam possum demississime ex meo nihilo veneror, et toto corpore prostratus adoro. Simulque inter mille cordis mei jubilos offero Tibi omnem reverentiam, omnem apparatum, omnes caeremonias, omnem magnificentiam, omnes manuum elevationes, omnes genuflexiones, omnes capitis inclinationes, omnes coram Te corporis prostrationes, omnes oblationes, omnia vota, omnia Missae Sacrificia, omnes denique actus religionis, quibus sive in terra, sive in coelo adoratum es unquam, aut deinceps adoraberis. His addo omnium mortalium corda, quae tanquam juge debitumque Majestati tuae Sacrificium Te unice laudare, unice Tibi servire nunc et in aeternum cupio. Inter haec primo loco Tibi offero Cor magnae Dei Matris, quod ad Te colendum, et ad adorandum prae omnibus reliquis aptissimum est. Hujus sanctissimis erga Te affectionibus omnes omnium hominum conjungo, hocque fretus adjutorio ac societate me, meaque

1) Vide supra p. 324.

Digitized by Google

omnia cum toto, qua late patent, coelo et terra Tibi, coeli et terrae Domino, tuaeque gloriae unice dedico et consecro. Hunc adorationis actum meorum etiam confoederatorum nomine, quos Tibi specialiter commendo, clementissime suscipere digneris. Amen.

Gratiarum actio.

Cor Jesu patientissimum, misericordia exuberantissimum, clementia et caritate erga homines plenissimum! O Cor Redemptoris mei, sine quo pridem in inferno essem! O Cor Amici mei, quod me nunquam, nisi volentem, deseruisti! O Cor Fratris mei primogeniti, quod me, fratrem indignissimum et degenerem nimis, tam benigne tolerasti! Cor Patris mei, quod me, filium plus quam prodigum necdum abjecisti! Cor Magistri mei, quod me ad omnem virtutem erudiisti, et tam potenter, unaque suaviter per internas inspirationes a peccatis retraxisti! Cor criminum meorum victima, et Dei justitiae pro mea salute inter immensos dolores immolata! Cor amore mei per lanceam grandi vulnere sauciatum, et usque ad ultimam sanguinis guttam exhaustum! Cor Advocati potentissimi in coelis coram aeterno Patre pro me perorans! Cor in terris mecum habitans et me toties Te ipso suavissime reficiens! Cor in meam salutem meaque commoda omnia a prima Tui formatione in praesens usque momentum unice intentum! quas ego Tibi grates pro infinito tuo amore, indeque profectis in me beneficiis referam? Eja creaturae omnes impotentiam meam juvate, et benedicite mecum amantissimo Cordi Jesu! Benedicite omnia opera Domini Cordi Jesu! laudate et superexaltate illud in saecula. Benedicite Angeli Domini Cordi Jesu: benedicite coeli Cordi Jesu. Benedicite aquae omnes, quae super coelos sunt, Cordi Jesu: benedicite omnes virtutes Domini Cordi Jesu. Benedicite sol

Digitized by Google

et luna Cordi Jesu: benedicite stellae coeli Cordi Jesu. Benedicite omnis imber et ros Cordi Jesu: benedicite omnes spiritus Dei Cordi Jesu. Benedicite ignis et aestus Cordi Jesu: benedicite frigus et aestus Cordi Jesu. Benedicite rores et pruina Cordi Jesu: benedicite gelu et frigus Cordi Jesu. Benedicite glacies et nives Cordi Jesu. Benedicite noctes et dies Cordi Jesu. Benedicite lux et tenebrae Cordi Jesu. Benedicite fulgura et nubes Cordi Jesu. Benedicat terra Cor Jesu: laudet et superexaltet illud in saecula. Benedicite montes et colles Cordi Jesu: benedicite universa germinantia in terra Cordi Jesu. Benedicite fontes Cordi Jesu: benedicite maria et flumina Cordi Jesu. Benedicite cete et omnia, quae moventur in aquis, Cordi Jesu: benedicite omnes volucres coeli Cordi Jesu. Benedicite omnes bestiae et pecora Cordi Jesu: benedicite filii hominum Cordi Jesu. Benedicat tota Ecclesia Cor Jesu: laudet et superexaltet illud in saecula. Benedicite sacerdotes Domini Cordi Jesu: benedicite servi Domini Cordi Jesu. Benedicite spiritus et animae justorum Cordi Jesu: benedicite sancti et humiles Cordi Jesu. Benedicat Cor Mariae Cordi Jesu: benedicant Pater, Filius et Spiritus sanctus Cordi Jesu. Benedictum sis Cor Jesu a Te ipso, et laudabile et gloriosum et superexaltatum in saecula. Hunc gratiarum actionis actum meorum etiam confoederatorum nomine, quos specialiter Tibi commendo, clementissime suscipere digneris. Amen.

Amor.

Cor Jesu, cordium omnium nobilissimum, generosissimum, liberalissimum, magnificentissimum, mansuetissimum, purissimum, innocentissimum, Cor adorandis Filii Dei perfectionibus infinitis amabilissimas filii hominis perfectiones ineffabili modo conjungens, Cor ineffabile et incomprehen-

Digitized by Google

sibile, Cor Dei, et Deo dignissimum! Cor meum et omnia! O ut omnium corda mortalium mea jam essent! his ego omnibus Te quam ardentissime amarem; verum et haec mihi non sufficerent ad Te digne amandum. Quam ergo miser sum, qui unicum dumtaxat cor habeo, quoque ipso hactenus Te aut nihil, aut parum amavi, quum tamen illud unice mihi dederis ad amandum Te! O amabilissimum Cor! quam sero nunc tandem Te amo! Vae atque iterum vae illis momentis, horis et diebus, quibus Te non amavi, imo etiam offendere ausus sum! O! quam doleo nunc, et quam detestor hanc meam caecitatem et malitiam. Cor amabilissimum! o ut infectum fieri posset, quod feci! Saltem ab hoc momento Te pro viribus incipiam amare. O ut te amarem sicut Sancti omnes, sicut Seraphini tui! O ut Te amarem amore perfectissimo Cordis Mariae! Hujus amoribus unio et meum amorem, illisque ita conjunctis Te amare cupio. At ne sic quidem satis amare Te possum, o superamabilissimum Cor! Itaque saltem laetor, quod in terrarum orbe Cor aliquod, quamvis unicum, invenire sit, quod Te digne amet. Hoc Cor Tu ipsum es, atque hoc Te amas, quantum mereris. Proin sicut illud cum omnibus perfectionibus tuis divinis Tibi gratulor, ita hoc ipsum, quoniam omnia tua ex dono tuo mea sunt, Tibi offero, ut in illius amore perfecte Tibi complacere, et quidquid amoris erga Te cordi meo deest, supplere velis. Hunc amoris actum meorum etiam confoederatorum nomine, quos specialiter Tibi commendo, clementissime suscipere digneris. Amen.

Deprecatio.

O Cor Jesu, amore hominum ardentissimum, simulque ob spretum amorem tuum afflictissimum etc.[1] . . . . . .

1) Vide supra 689.

Digitized by Google

Hunc deprecationis actum meorum quoque confoederatorum nomine, quos specialiter Tibi commendo, clementissime suscipere digneris.

Petitio.

Cor Jesu potentissimum, benignissimum, et circa me meaque omnia plus quam paterne providum! quanto solatio, quamdiu in hoc misero orbe peregrinor, mihi Tu esse debes! Tu de me semper cogitas, et semper mecum es in sanctissimo altaris Sacramento, prorsusque idem Cor es, ex cujus amore, quum in his terris per triginta tres annos versareris, tot grandia beneficia et stupenda miracula in innumeros miseros mortales profluxerunt. Ad quem ergo in omnibus necessitatibus confidentius recurram, quam ad Te, o amantissimum Cor! a quo omnia bona certo sperare possum. Conjurent contra me miseriae omnes; irruant in me morbi, egestas, persecutiones, contemptus, aut quidquid malorum in hoc orbe est; aut illae brevi evanescent, aut certe nocebunt nihil: spero enim in Corde Jesu, quod me nunquam deseret: in Corde Jesu Fratris, Patris, Dei mei, optimi, sapientissimi, potentissimi. Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum fretum promissionibus fidelissimi hujus Cordis. Sed neque terreri me sinam praeteritae vitae meae peccatis, quae per tuam gratiam toto corde detestor; et illo sanguine abluor, qui pro mea salute ex suavissimi hujus Cordis vulnere promanavit. Itaque o dulcissimum Cor! omnes ego meas curas, omnes meos labores, omnes meas infirmitates, omnes animae meae angustias, omnia mea desideria in Te repono nihil jam sollicitus de me, confidens unice bonitati, potentiae et providentiae tuae, quibus me meaque omnia penitus committo. Unum unicum tamen est, quod, quum velis a me peti, confidenter a Te peto, et exspecto. Bonum cor,

Digitized by Google

ah! bonum cor da mihi, et mortalibus omnibus. Ecce! quam misere et quam procul a Te aberrent corda nostra. Eja effunde super illa copiosam gratiam tuam, et ea justae dominationi tuae penitus subjice, ac jure tuo tota posside: ingrata etiam atque rebellia clementer et potenter Tibi servire compelle. Hoc imperium tuum sanctissimum et suavissimum constanter in ea exerce, ut ab omnibus profanis amoribus et carnalibus desideriis purgata, virtutibus autem tuis exornata Te unice colant, et in Te omnium desideriorum et amorum centro hic et in aeternum conquiescant. Hunc petitionis actum meorum quoque confoederatorum nomine, quos specialiter Tibi commendo, clementissime suscipere digneris. Amen.

His quinque virtutum actibus omnibus et singulis etiam alias, et extra foedus, quod cum aliis iniisti, uti poteris, praesertim post sacram Communionem, et in visitatione sanctissimi Cordis Jesu in Eucharistia, potissimum quando in praecipuis festis, nominatim festo divinissimi Cordis, publicae venerationi exponitur. Prae reliquis actibus commendo tibi actum deprecationis, cultui amabilissimi Cordis ex ipsa institutione Jesu Christi proprium, quemque ex praeclarissimo opere Patris Gallifet studio in hunc libellum transtuli, tum quia plurimum devotionis habet, tum quia jam passim apud multos in usu est.

(P. Schauenburg.)

Fusior deprecatio omnium injuriarum, quae Sanctissimo Cordi Jesu in Altaris Sacramento inferuntur.

Has deprecationes numero viginti quatuor, quot nempe horae diei sunt, in quibus amabilissimum Cor Jesu in

Digitized by Google

sanctissima Eucharistia per totum orbem varie offenditur, singulis hebdomadis die Jovis vel Veneris, vel saltem semel in mense, praesertim autem ipso festo sanctissimi Cordis ut recites, omnibus modis tibi suadeo. Quod si viginti tres amicos et devotionis tuae confoederatos habeas, omnes hae deprecationes inter singulos dividi atque sic quotidie tot hominum scelera, quae contra augustissimum Cor in altaris Sacramento perpetrantur, utcunque cum maximo sane gaudio ejusdem amabilissimi Cordis compensari possent.

I.

Divinissimum Cor Jesu, quod in sanctissimo Altaris Sacramento nobiscum usque ad consummationem mundi habitare dignaris! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnem culpabilem illam tot mortalium oblivionem, qui de hoc immenso tuo amore raro cogitant, et rarius adhuc pro illo tibi grates agunt. In compensationem Tibi offero continuas illas gratiarum actiones, quas Tibi divina Mater tua pro hoc ineffabili beneficio per omnem suam vitam persolvit, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

II.

Divinissimum Cor Jesu, cujus veram in altaris Sacramento praesentiam fides tot miraculis confirmata me docet! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnem incredulitatem et vacillationem fidei circa hoc sanctissimum mysterium. In compensationem Tibi offero vivam illam fidem omnium sanctorum Martyrum, qui in assertionem sanctissimi Sacramenti vitam et sanguinem suum

Digitized by Google

profuderunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

III.

Divinissimum Cor Jesu, veri et infinita reverentia dignissimi Dei! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnem garrulitatem, risum et cachinnos, quibus toties in templis tuis tam irreverenter haberis. In compensationem Tibi offero profundissimam illam reverentiam, quam inter continuas adorationes Tibi omnes Angeli in ecclesiis tuis exhibent, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

IV.

Divinissimum Cor Jesu, cujus pulchritudo, et majestas omnium oculos in se convertere deberet! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnem curiositatem oculorum, et incompositos corporis gestus, quibus tua in altaribus praesentia adeo frequenter inhonoratur. In compensationem Tibi offero omnem illam modestiam sanctarum Virginum, qua coram Te unquam comparuerunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

V.

Divinissimum Cor Jesu, cujus omnia desideria et motus unice in nostram salutem intenti erant! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnes voluntarias distractiones, quae coram Te in templis tam proterve

Digitized by Google

aut admittuntur, aut etiam quaeruntur. In compensationem Tibi offero omnem illam attentionem, quam sancti Confessores tui ad Te Sanctum Sanctorum attulerunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

VI.

Divinissimum Cor Jesu, quod toties in nostris altaribus Te ipsum aeterno Patri tuo pro nobis offerre dignaris! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnem culpabilem omissionem sanctissimi Sacrificii Missae. In compensationem Tibi offero illam devotionem, qua sanctae Viduae etiam pluribus sacrificiis adstitere, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

VII.

Divinissimum Cor Jesu, ultimum atque optimum morientium viaticum! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnem graviter aegrotantium moram circa illud petendum. Multo magis adhuc detestor et deprecor culpabilem sanctissimi hujus viatici omissionem. In compensationem Tibi offero omnem illam curam, quam pii animarum Pastores mature muniendis sanctissimo Sacramento aegrotantibus impenderunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

VIII.

Divinissimum Cor Jesu, quod Te manibus Sacerdotum quotidie concredere dignaris! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnes irreverentias,

Digitized by Google

quas hi Sacerdotes tui sive in offerendo Missae Sacrificio, sive in distribuenda sacra Synaxi committunt. In compensationem Tibi offero omnem illam reverentiam, quam sancti Sacerdotes, Episcopi, et summi Pontifices in tractando sanctissimo tuo corpore et sanguine adhibuerunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

IX.

Divinissimum Cor Jesu, in quo omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei sunt absconditi! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnem culpabilem ignorantiam circa ea, quae augustissimum amoris tui Sacramentum concernunt. In compensationem Tibi offero omnes illas curas et labores, quibus sive sancti Doctores, sive zelosi Catechistae in explanando hoc divinissimo mysterio unquam se in toto terrarum orbe dediderunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

X.

Divinissimum Cor Jesu, castissimum Matris virgineae partus! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnia impura desideria, verba et opera, quibus unquam in templis tuis carnales homines Te offenderunt. In compensationem Tibi offero illa purissima corda hominum utriusque sexus, qui se Tibi emisso castitatis voto unice consecrarunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

XI.

Divinissimum Cor Jesu, cujus deliciae sunt esse cum filiis hominum! adoro te summa qua possum reverentia;

Digitized by Google

detestor autem et deprecor tot mortalium negligentiam, qui Te in sanctissimo Sacramento in tot Ecclesiis expositum raro admodum visitant. In compensationem Tibi offero illam fere perpetuam adorationem, quam tot cathedralium et collegiatarum Ecclesiarum Canonici cum tot sacrorum Ordinum religiosis dies noctesque in psalmis et canticis Tibi exhibent, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

XII.

Divinissimum Cor Jesu, quod cum ineffabili humilitate et mansuetudine Te in amabilissimo altaris mysterio ipsis adeo inimicis tuis sub speciebus vini et panis sumendum porrigis! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnem rancorem, iram, odium et superbiam, quibus etiam in templis tuis toties offenderis. In compensationem Tibi offero omnem illam humilitatem et mansuetudinem, qua maximi etiam Principes, Reges et Imperatores, deposita omnis honoris et vindictae cupiditate, coram Te unquam comparuerunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

XIII.

Divinissimum Cor Jesu, quod usque in mortem pro salute animarum tuarum zelasti! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnia scandala, quae in tua praesentia in detrimentum tot animarum committuntur. In compensationem Tibi offero omnem zelum, quo pii concionatores in omnia scandala in templis perpetrata invehuntur, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in

Digitized by Google

amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

XIV.

Divinissimum Cor Jesu, quod nihil ardentius, quam Te in sanctissimo Sacramento nobis intime unire desideras! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor illam acediam tot mortalium, qui, dum raro admodum ad sacram communionem accedunt, haec tua desideria frustrantur. In compensationem Tibi offero illa incensissima amoris desideria, inter quae primi Christiani cum sanctis Apostolis et Discipulis tuis quotidie ad Te sumendum accesserunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

XV.

Divinissimum Cor Jesu, Cor prae omnibus cordibus benedictum! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnes blasphemias, maledicta, execrationes et imprecationes, quibus mortales in altaris Sacramento Te violant et profanant. In compensationem Tibi offero omnia omnium sanctorum Ecclesiae Patrum elogia et laudes, quibus Te extollunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

XVI.

Divinissimum Cor Jesu, cujus cultui et adorationi omnes coeli et terrae divitiae debentur! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnia sacrilega furta, quibus tua templa exspoliantur, omnemque avaram

Digitized by Google

tenacitatem in iis reparandis, aedificandis et exornandis. In compensationem Tibi offero omnem liberalitatem piorum fundatorum et benefactorum sanctarum aedium tuarum, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris, tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

XVII.

Divinissimum Cor Jesu, sedes innocentiae et sanctitatis! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et execror omnia peccata et sacrilegia, quae, dum in sacra communione sumeris, perpetrantur. In compensationem Tibi offero tenerrimam illam innocentiam et sanctarum animarum devotionem, qua ad divinissimum convivium tuum unquam accesserunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

XVIII.

Divinissimum Cor Jesu, quod toties per plateas circumferri, et ipsas adeo domos nostras subire dignaris! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et execror omnes negligentias et irreverentias, quae in Te comitando admittuntur. In compensationem Tibi offero omnem pietatem illarum sanctarum confraternitatum, quae promovendo tuo, etiam extra templa, cultui singularem curam impendunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

XIX.

Divinissimum Cor Jesu, Cor veri Filii Dei! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor

Digitized by Google

omnes superstitiosas et magicas artes, quibus scelerati homines Te in sanctissimo Sacramento ad omnia flagitia, magistro diabolo, abutuntur. In compensationem Tibi offero omnem dolorem animarum poenitentium, quo et sua et aliorum contra Te in amoris Sacramento nobiscum habitans admissa scelera amarissimas inter lacrymas expiarunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

XX.

Divinissimum Cor Jesu, quod nunquam satis adorari a mortalibus potes! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnem languorem, et respectum humanum in devota coram Te manuum elevatione et profunda genuflexione facienda. In compensationem Tibi offero omnem illam adorationem profundissimarum reverentiarum, quas sive manibus, sive genibus pii altarium tuorum ministri Tibi unquam exhibuerunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

XXI.

Divinissimum Cor Jesu erga homines liberalissimum! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnem injustitiam et negligentiam in administrandis pro tuo cultu augendo factis piis fundationibus. In compensationem Tibi offero omnem curam et diligentiam, quam his sanctis fundationibus defendendis, et integre conservandis, aut etiam augendis pii toparchae, et templorum tuorum fabricis praefecti ubique terrarum impenderunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacra-

Digitized by Google

mento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

XXII.

Divinissimum Cor Jesu, pretiosissimum verae Ecclesiae monumentum! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnem crudelitatem et barbariem, quibus contra Te in sanctissimo Sacramento haeretici desaevierunt. In compensationem Tibi offero omnem illum singularem honorem, quem Tibi in hoc divinissimo mysterio certi ordines sive religiosi, sive militares, sive equestres deferunt, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

XXIII.

Divinissimum Cor Jesu, vera lux mundi! adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnem voluntariam caecitatem et obdurationem Judaeorum, Turcarum, omniumque idololatrarum, quibus in aris nostris factus es scandalum et stultitia. In compensationem offero Tibi indefatigabilem illum zelum tot apostolicorum virorum, qui inter incredulas gentes tanto cum labore augustissimum Eucharistiae Sacramentum praedicant, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

XXIV.

Divinissimum Cor Jesu, coram quo flectantur omnia genua coelestium, terrestrium et infernorum! Adoro Te summa qua possum reverentia; detestor autem et deprecor omnia, quaecunque demum peccata et scelera, quae contra Te in amoris

Digitized by Google

Tui Sacramento per totum terrarum orbem unquam perpetrata sunt. In compensationem Tibi offero omnem honorem et cultum, omnem reverentiam et amorem, qui Tibi in hoc ipso ineffabili mysterio ab ulla unquam creatura exhibiti sunt, et deinceps exhibebuntur, unaque omnibus meis desideriis desidero, ut in amoris tui Sacramento a cunctis mortalibus semper et ardentissime ameris. Amen.

Preces sodalitiae,

quas alumni Oenipontani Convictus Theologorum ad S. Nicolai quotidie post Missam communitatis recitant pro suis in Convictu quondam sociis nunc in vinea Domini operariis.

(Indulg. privat.)

Antiphona. *Euntes ibant et flebant mittentes semina sua: venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.*

Psalm. Laudate Dominum omnes gentes; laudate eum omnes populi:

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus; et veritas Domini manet in aeternum.

Gloria Patri. — Sicut erat etc.

℣. Oremus pro fratribus nostris absentibus.

℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in Te.

℣. Mitte eis Domine auxilium de Sancto.

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Sacerdotes tui induantur justitiam.

℟. Et sancti tui exultent.

℣. Oremus pro benefactoribus nostris.

℟. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam aeternam. Amen.

Digitized by Google

℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad Te veniat.

Oremus.

Ecclesiae tuae Deus sanctificator et custos, suscita in ea, et praesertim in hocce Seminario tuo per Spiritum tuum idoneos et fideles sanctorum mysteriorum dispensatores, ut eorum ministerio et exemplo christiana plebs in viam salutis Te protegente dirigatur.

Concede quaesumus, omnipotens Deus, ut qui in sanctissimo dilecti filii tui Corde gloriantes praecipua in nos caritatis ejus beneficia recolimus, eorum pariter et actu delectemur et fructu. Per eundem Ch. D. N.

℟. Amen.

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

℟. Amen.

Pridie ordinationis alumnorum subjunguntur usitatae

Litaniae D. N. J. Ch., Sacerdotis et Victimae.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Christe audi nos. — Christe exaudi nos.
Pater de coelis Deus, — miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, — miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, — miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, — miserere nobis.
Jesu, Sacerdos in aeternum,
Jesu, appellate a Deo Pontifex juxta ordinem Melchisedech,
Jesu, Pontifex quem unxit Deus Spiritu sancto et virtute,
Jesu, Pontifex magne,
} Miserere nobis.

Digitized by Google

Jesu, Pontifex ex hominibus assumpte,
Jesu, Pontifex pro hominibus constitute,
Jesu, Pontifex confessionis nostrae,
Jesu, Pontifex amplioris prae Moyse gloriae,
Jesu, Pontifex tabernaculi veri,
Jesu, Pontifex futurorum bonorum,
Jesu, Pontifex sancte, innocens et impollute,
Jesu, Pontifex fidelis,
Jesu, Pontifex misericors,
Jesu, Pontifex benefice,
Jesu, Pontifex Dei et animarum zelo succense,
Jesu, Pontifex in aeternum perfecte,
Jesu, Pontifex qui penetravit coelos,
Jesu, Pontifex sedens ad dexteram Majestatis in excelsis,
Jesu, Pontifex nunc apparens vultui Dei pro nobis,
Jesu, Pontifex qui initiavit nobis viam novam et viventem,
Jesu, Pontifex qui dilexit et lavit nos a peccatis in sanguine suo,
Jesu, Pontifex qui tradidit semetipsum pro nobis oblationem et Hostiam Deo,
Jesu, Hostia Dei et hominum,
Jesu, Hostia sancta,
Jesu, Hostia immaculata,
Jesu, Hostia accepta,
Jesu, Hostia placabilis,
Jesu, Hostia solemnis,
Jesu, Hostia laudis,
Jesu, Hostia pacifica,
Jesu, Hostia propitiationis,
Jesu, Hostia salutis,

Miserere nobis.

Digitized by Google

Jesu, Hostia in qua habemus fiduciam et accessum ad Deum,
Jesu, Hostia quae fecit utraque unum,
Jesu, Hostia mactata ab origine mundi,
Jesu, Hostia vivens in saecula saeculorum,
Propitius esto! Parce nobis Jesu.
Propitius esto! Exaudi nos Jesu.

Miserere nobis.

Ab omni malo,
A temerario in clerum ingressu,
A peccato sacrilegii,
A spiritu incontinentiae,
A turpi quaestu,
Ab omni simoniae labe,
Ab indigna opum ecclesiasticarum dispensatione,
Ab amore mundi ejusque pomparum,
Ab indigna Mysteriorum celebratione,
Per aeternum sacerdotium tuum,
Per sanctam Divinitatis unctionem, qua a Deo Patre in sacerdotem inauguratus fuisti,
Per sacerdotalem spiritum tuum,
Per ministerium illud, quo Patrem tuum super terram clarificasti,
Per cruentam tui ipsius immolationem semel in cruce factam,
Per illud idem sacrificium in altari quotidie renovatum,
Per divinam illam potestatem, quam in sacerdotibus tuis unicus et invisibilis Sacerdos exerces,

Libera nos Jesu.

Ut omnes ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris,
Ut fiat in illis spiritus sacerdotii tui,
Ut labia sacerdotum scientiam custodiant,
Ut in messem tuam mittas operarios inconfusibiles,

Te rogamus, audi nos.

Digitized by Google

Ut ministros tuos efficias flammam ignis,
Ut suscites pastores secundum Cor tuum,
Ut omnes sacerdotio fungentes irreprehensibiles sint et sine macula,
Ut qui viderint ministros altaris, Dominum venerentur,
Ut sint tibi offerentes sacrificia in justitia,
Ut per eos Sanctissimi Sacramenti cultum ubique promovere digneris,
Sacerdos et victima!

} Te rogamus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: parce nobis Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: exaudi nos Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi: miserere nobis.

℣. Jesu, Sacerdos, audi nos.
℟. Jesu, Sacerdos, exaudi nos.

Oremus.

Ecclesiae tuae, Deus, sanctificator et custos, suscita in ea, et praesertim in hocce Seminario tuo, per Spiritum tuum idoneos et fideles sanctorum mysteriorum dispensatores, ut eorum ministerio et exemplo christiana plebs in viam salutis te protegente dirigatur.

Deus, qui ministrantibus et jejunantibus discipulis segregari jussisti Paulum et Barnabam in opus ad quod assumpsisti eos, adesto nunc Ecclesiae tuae (jejunanti et) oranti, et tu, qui omnium corda nosti, ostende quos elegeris in ministerium. Per Christum D. N.

Prima cujuslibet mensis feria VI. dicuntur Litaniae SS. Cordis relatae supra p. 723 cum Actu consecrationis exhibito p. 696.

Digitized by Google

§. III.

Novem officia amoris erga SS. Cor Jesu.

PRAEMONITUM.

1. In Collegiis ecclesiasticis juvenes in studiis sodales *novem officia amoris* turmatim explent, h. e. in varias distributi sectiones, quarum singulae novem sociis constant. *(Vide supra p. 411.)*

2. Inter novem sodales, qui in turma sua devotionis foedere juncti Sanctissimum Cor Jesu hac ratione colunt, singulis mensibus vices permutantur.

3. Die proximo ante primam cujuslibet mensis feriam VI. officia inter novem foederatos sorte dividuntur, ita ut singulis singuli dies hebdomadae obtingant, quibus quilibet eorum officium suum praestet.

4. Illius ex sodalibus, cui in sortiendis officiis *zelatoris* munus pro currente mense obtigit, industria in eo vigere debet, ut officia singulis diebus assignata per mensem rite fiant atque novo mense ineunte opportune mutentur. Quapropter 1^0 singulis diebus, pridie vesperi, eum foederatum officii sui monet, qui illud postero die est executurus, et 2^0 diligentem curam adhibebit de officiorum sortitione ante primam feriam sextam mensis proxime sequentis accurate perficienda.

5. Quamvis auctores hujus methodi cautum esse voluerint, ut semper aliud et aliud ex novem officiis a singulis foederatis quotidie praestetur, iidem tamen omnibus suadent, ut diebus sibi assignatis tanquam commune foederis sui tributum etiam *actus consecrationis* et *expiationis* seu *deprecationis (Eod. p. 689, 696)* faciant atque unum ex *Officiis parvis SS. Cordis* relatis supra pp. 715 seqq. devote recitent.

Digitized by Google

6. Qui post absoluta studia e Collegiis egressi sanctam illam, quam studiorum tempore in SS. Corde Jesu ad invicem habebant, societatem firmam ac perpetuam habere volunt, eandem fere methodum Cor Sanctissimum colendi, ita tenent; ut — integro catalogo suorum in Collegio quondam sodalium in novem sectionis seu turmas ad Alphabeti literas diviso — singulis sectionibus singuli hebdomadae dies pro integro trimestri aut semestri spatio assignentur, quibus quaelibet sectic officium sibi tributum expleat. Officia tamen unus e zelatoribus in Collegio degentibus ab alio ad aliud tempus ex ordine mutat, mutataque foederatis quoquoversus dispersis in folio aliquo sodalitio circummittendo indicat.

A. Formula communis.

OFFICIUM I.

SERVUS,

unitus choro Angelorum.

1. Contemplare Divin. Salvatorem tibi ut B. Mariae Margaritae pectus suum aperientem, et audi: *Factum est Cor meum tanquam cera liquescens in medio ventris mei.* Ps. 21. *Venite ergo ad me omnes*, etc. Matth. XI.

2. Considera officium tuum, et 1⁰ Quomodo ad III. Hierarchiam (Angelos, Archangelos et Principatus) pertineat operis executio. (S. Th.) 2⁰ Quid sint Angeli: *omnes administratorii spiritus in ministerium missi propter eos, qui haereditatem capiunt salutis.* (Hebr. I.) 3⁰ Quomodo ipse Dominus non venerit *ministrari sed ministrare, formam servi accipiens.* Ille, qui tanto tamen melior Angelis est effectus, quanto differentius prae illis nomen haereditavit, — Dominus, Rex et Filius Dei. (Hebr. I.) *Cui millia millium ministrant, et decies millies centena millia assistunt.* (Dan. VI.)

Digitized by Google

3. *Primum motivum* hujus devotionis, tuaeque servitutis sit *ipsum objectum*, hujusque excellentia. Cor enim est symbolum amoris, sedes affectuum, fons virtutum. Hic autem est Cor Jesu, in immensum amantis, Sancti Sanctorum, Filii Dei.

4. *Praxis.* Ut bene servias SS. Cordi, scito te *Cordi* servire, nec semel dixisse Dominum discipulis suis: *Non est* servus *supra Dominum* etc. *Cogitatum* itaque *tuum habe in praeceptis Dei, et Ipse dabit tibi cor*, i. e. intelligentiam et robur, ut ex corde servias Illi, cui *servire regnare est.* (Eccli. VI.)

5. O Cor amoris victima!
Fer mihi tu praesidia!
Sis vita tu, sis gaudium:
Sis et per aeva praemium!

OFFICIUM II.

ZELATOR,

unitus choro Archangelorum.

1. Contemplare vultum Domini Nostri *respicientis super justos*, et manu dextra Cor suum tibi offerentis, et dicentis: Ecce Cor illud, quod tantopere amavit homines . . . et tanto nihilominus frigore, tantisque irreverentiis et sacrilegiis quotidie saturatur. (Jes. ad B. M. M.)

2. Considera 1° Quid sint Archangeli, *qui adstant coram Domino*, et mysteriorum divinorum conscii, non nisi magnis ac praecipuis de causis ad illa nuntianda mittuntur. (SS. PP.) 2° *Zelum*, quo Rex Archangelorum venit animam suam dare pro hominibus. (S. Bern.) 3° *Zelum*, qui comedit SS. Cor (Io. 2.), quemque ostendit factis, lacrymis, et sermonibus, loquens: *Baptismo habeo baptizari . . . . Desi-*

Digitized by Google

derio desideravi . . . . Quoties volui . . . . et tu . . . noluisti, etc.

3. *Motivum zeli* etiam in eo sit, quod Jesus ipse hanc devotionem docuit, 1° Per Prophetam: *Videbunt, in quem transfixerunt.* 2° In vita sua: *Discite a me, quia mitis sum . . . . corde.* 3° In cruce: non modo clavis in manibus suis, sed et lancea in Corde suo scribens nos (S. Fr. Sal.), et e Corde Ecclesiam profundens. (SS. PP.) 4° Post resurrectionem: *Videte manus et latus*, et *affer manum tuam; et mitte in latus meum.* 5° Loquens ad Sanctos suos et maxime his ultimis temporibus ad B. M. M.

4. *Praxis.* Esto sicut ipse Dominus *fortis zelotes*, memor, te omnia posse per hanc devotionem. (Jes. ad B. M. M.) Ora igitur, et labora pro 80,000 quotidie morientibus, et pro innumeris ingratis, indignis, infidelibus, et peccatoribus.

5. O caritatis victima!
Tu corda nostra concrema!
Tibique gentes creditas
Averni ab igne libera!
(Off. S. Ther.)

OFFICIUM III.

REPARATOR,

unitus choro Principatuum.

1. Contemplare oculos Divini Salvatoris te respicientis et manu sinistra cor tuum a te petentis: *Praebe, fili, cor tuum mihi.* Prov. 23.

2. Considera 1° Principatus hos esse, qui aliis angelis ad implenda divina mysteria principantur (S. Greg.), et quorum moderamine omnis in terra principatus constituitur. (S. Bern.)

Digitized by Google

3. Cor Jesu SS. Principatuum omnium esse *principem*, cujus principatum super humerum ejus (Is. 9.), quique omnia corda habet in manu sua, sed omnes trahere vult solo et toto corde; qui etiam ubique adest (potissimum in SS. Sacr.) *ut medeatur contritis corde* (Is. 61.); sed, eheu! multos invenit stultos et tardos corde ad credendum, et quorum cor longe est ab eo, quia nemo est, qui recogitat corde.

4. *Motivum* sit ipse *scopus*, quem Dominus sibi proposuit in instituendo hunc cultum SS. Cordis, quique fuit: caritatis flammas jam magis magisque deficientes hoc novo remedio iterum succendere. (B. M. M.) Atque hic ipse est scopus praecipuus operarii in vinea Domini.

5. *Praxis* erit non modo servire SSmo. Cordi, sed et pro eo zelare et reparare mala in quantum potes, sicut S. Joannes, qui primum ipse secreta altiora de intimo Jesu Corde potavit (S. Aug.); deinde ut Cor hoc lancea apertum vidit, testimonium perhibuit (Joan. 19) scriptis, verbo et opere.

6. O Cor ut reparem pro te!
Cruce, quam geris, signa me.
Flammis queis flagras ure me!
Spinisque tuis septum me
Aperto include vulnere!

OFFICIUM IV.

MEDIATOR,

unitus choro Potestatum.

1. Contemplare ipsum SS. Cor, fontem et sedem immensi illius amoris, quo perpetuo flagravit pro hominibus (S. Th.), et quo in nullo sibi pepercit, donec moreretur et consumeretur amore. (Jes. ad B. M. Marg.)

Digitized by Google

2. Considera 1⁰ quod ad II. Hierarchiam (Potestates, Virtutes et Dominationes) pertineat dispositio universalis de agendis. (S. Th.) 2⁰ *Potestates* ideo sic dici, quia earum potestate refrenantur virtutes adversae, ne corda hominum tantum tentare praevaleant, quantum volunt. (SS. Gr., Bern.) 3⁰ SS. Cor esse, *cui omnis potestas data est in coelo et in terra,* coram quo *et Potestates tremunt,* quod daemonem ejecit foras, et N. et aeterni Testamenti Mediator est. Hoc igitur sicut *Potestates* honora, in hoc confide et vive.

3. *Motivum* sit desiderium ipsius Jesu, qui voluit ut quam latissime haec devotio propagaretur. Docuit me J. C. (sic scripsit B. M. M.), modo indubitabili se velle ubique gentium hanc solidam devotionem introducere, et per eam immensum sibi creare numerum servorum fidelium, amicorum perfectorum, et filiorum perfecte gratorum.

4. Sis igitur Mediator inter SS. Cor et tot centena millia adhuc infidelium et peccatorum, ne praevaleant adversus eos potestates inferi, quod facies ore, opere et oratione, maxime promovendo hanc ipsam devotionem, per quam omnia potes (Jes. ad B. M. M.), recogitans quoque quid sonet, pro bonis quidem, sed et pro malis: *videbunt in quem transfixerunt.* (Zach. 13.)

5. O Cor percussum lancea,
Passumque ad hoc es vulnera,
Ut nos lavares sordibus,
Unda fluente et sanguine,
Hoc fonte gentes hauriant
Remissionis gratiam.

(Off. Eccl.)

Digitized by Google

OFFICIUM V.

DISCIPULUS,

unitus choro Virtutum.

1. Contemplare vulnus SS. Cordis, scholam spei, et audi: *Videbunt, in quem transfixerunt*, et iterum *Discite a me, quia mitis sum et humilis Corde.*

2. Considera 1^0 appellationem *Virtutum* virilem quamdam fortitudinem significare (Dion.); per has porro frequentius signa et miracula fieri (S. Georg.), eosque esse, qui ut milites instructi et bene docti stant contra hostes Dei; 2^0 Christum esse verum *magistrum* tuum, Ducem simul et Dominum Deum virtutum, a cujus nutu pendent 12 et innumerae aliae legiones Angelorum. Disce tamen non mundum fabricare, non miracula patrare, sed, quia mitis est et humilis Corde (S. Aug.); Corde, inquam, ex quo omnia prodigia prodeunt, quod ipsum est abyssus miraculorum, et per quod tu etiam discipulus et miles Christi es; 3^0 Discipulum non esse supra magistrum, et in praxi hic progressum tuum consistere, non in verbis, aut sola scientia.

3. *Motivum* erit convenientia, ut membrum Christi, nomine Christi insignitum, in omnibus, quae ad Jesu cognitionem et amorem et gloriam pertinent, partem semper praecipuam sibi assumat.

4. *Praxis*: ad praesepe, in horto, ad columnam et in cruce ubique audias et videas et scruteris, quid doceat SS. Cor. — *Virtutes* porro imitatus, miles eris, etiam pro hac devotione, ut S. Aloysius, qui etiam post mortem cuidam apparens, devotionis hujus colendae et propagandae consilium dedit (in vita). Sic quoque tu audies: Hucusque servi te nomine donasti; ex hoc vocabo te discipulum dilectissimum SS. Cordis mei. (Jes. ad B. M. M.)

Digitized by Google

5. O Jesu Cor, Tu doce me,
Tu vias meas dirige!
Ut magis semper noscam Te!
Et semper magis sequar Te!

OFFICIUM VI.

SUPPLEX,

unitus choro Dominationum.

1. Contemplare coronam spineam, quae circumdat SS. Cor, et scito, instrumentis passionis hic significari, amorem immensum, quo flagravit hoc SS. Cor erga homines, fuisse fontem omnium dolorum, quos passum est. (Jes. ad B. M. M.)

2. Considera 1° *Dominationes* sic dici, quia summa est eorum dominatio, ... et quinque inferioribus ordinibus adeo supereminent, ut ad istos, tanquam ad Dominos referri videantur. (S. Bern.) 2° Christum Dominum Dominantium, quem et Dominationes adorant, Regem regum, et Dominum Deum tuum, gloria et honore coronandum, coronatum nunc pro te et per te corona miseriae et tribulationum. Vide porro, quae patiatur SS. Cor, et quaenam amplius, si opus sit, velit pati (S. Ign.), et quomodo magis pungatur ingratitudine hominum, quam omnibus suae passionis doloribus. (Jes. ad B. M. M.) 3° Quomodo Dominationes sis imitaturus in supplici adoratione, et dominaturus in inferiores per hanc devotionem. 4° Innumeros esse inter 840,000,000, pro quibus quotidie est supplicandum, imo, et illud acerbius, Cor Jesu pungere, quod ita inhonoretur ab iis, qui illi devoti sunt, ut dixit ad B. M. M.

3. *Motivum* erit promissio ipsius Jesu, dicentis tibi ut ad B. M. M.: Spondeo . . . . omnes, qui honore Cor meum afficient . . . . . coelestium donorum copia fore

Digitized by Google

cumulandos. Pondera haec verba, et scito Deum non mentiri. Spectant autem illa dona inprimis pacem conservandam vel restituendam in domibus et familiis maxime religiosis, felicem successum in convertendis peccatoribus, intimam cum Jesu amicitiam, progressum in omni perfectione. (B. M. M.)

4. *Praxis* erit servitutis tuae sacrificium in SS. Missae oblatione suppliciter offerre. Item supplex eris in cunctis tuis orationibus, et potissimum coram SS. Sacramento. Dices saepe: *Quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum Cor tuum.* (Job 7.)

5. O Jesu Cor, quod amas me!
Jam supplex ego rogo Te:
Et me, et plurimos per me,
In vulnus tuum suscipe.

OFFICIUM VII.

VICTIMA,

unitus choro Thronorum.

1. Contemplare crucem, qua signatum est SS. Cor, et audi: Quaero victimam Cordi meo, quae se offerat in hostiam immolationis ad implenda desideria mea. (Jesus ad B. M. M.)

2. Considera 1^0 ad I. Hierarchiam (i. e. Thronos, Cherubim et Seraphim) pertinere considerationem finis. (S. Th.) 2^0 *Thronos* sic vocari, eo quod sedeant, et ex eo sedent, quod sedet in eis Deus (S. Bern.), i. e. quia habent summam tranquillitatem, pacemque, quae exsuperat omnem intellectum. 3^0 Quomodo in Ipso (Jesu) condita sunt universa, sive *throni*, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, et Ipse est ante omnes, et omnia in Ipso constant

Digitized by Google

(Col. 1, 16); et quomodo nihilominus Cor hoc SS. factum est victima amóris, agonizans propter te in horto, et agonizans propter te in cruce, et clamans ad te: *Sitio*, ut ad Patrem: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* 4° Quomodo igitur te victimam reddes Cordis hujus, non modo laborando et patiendo, sed et omnimoda observatione praeceptorum, consiliorum et desideriorum. (Sicut petit a B. M. M.)

3. *Motivum* sit caritas ipsius Jesu: manifestatio enim Cordis SS. hisce postremis saeculis fuit ultimum veluti amoris conamen, ut homines ad sui amorem cogeret. Promisit ideo iis, qui cultum SS. Cordis propagarent, omnia bona et omnia dona divinae suae caritatis. (B. M. M.)

4. *Praxis.* Sicut *Throni*, cor tuum exhibe thronum Illius, qui jam sedet a dextris Dei; et, ut unus sis ex paucissimis (S. Ign.) qui perfectam Dei in se actionem non impediunt, victimam te exhibe illius Victimae, qui Cor dedit pro corde, sed totum pro totó, et aeternum pro aeterno. Patere igitur, imprimis minima; sed cum gaudio, in pace, constanter, et eo fine, ut similis sis SS. Cordi Jesu.

5. O Cor, amoris Victima! Et omnium spes ultima!
Ut vivam, moriar pro Te: In victimam me suscipe.

OFFICIUM VIII.

ADORATOR,

unitus choro Cherubim.

1. Contemplare nunc ipsam Divinitatem vere latitantem in hoc SS. Corde, et vide in cruce Fidem, in vulnere Spem, in flammis ardentissimam Caritatem, in spinis Passionem, et andi: Ita ingratos esse homines magis aegre fero, quam omnes passionis meae dolores: ita id vehementer doleo, ut si is esset erga me hominum amor, qui meae responderet

Digitized by Google

caritati, quae hucusque perpessus sum, pro nihilo haberem, majoraque etiam propter ipsos aggrederer, si fieri posset. At ea liberalitas et clementia cor angustum in eis invenit et frigidum. (Jes. ad B. M. M.)

2. Considera 1° propriam esse Cherubim sapientiam et multitudinem scientiae (SS. PP.), perfectissime igitur eosdem adorare. 2° Jesum esse, qui et sedet super Cherubim et Deus est scientiarum Dominus. Si ergo sanctus erat locus rubi, si sanctum erat templum (Sanctificavi, sic enim ait, domum hanc, et erunt oculi mei et Cor meum ibi cunctis diebus, III. Reg. 9), quid erunt nostra Tabernacula, ubi et Ipse Sanctus Sanctorum vere et realiter et substantialiter praesens est? 3° Quomodo imitaturus sis Cherubim in tua adoratione devota, humillima et constanti: memor hic esse Deum, quem adoras, et Deum cordis tui, cujus Cor in hoc silentio loquitur tibi, et cor pro Corde petit instantissime.

3. *Motivum* erit ipse dolor SS. Cordis, cui et hoc est amarissimum, personas sibi devotas esse frigidas in hac devotione (Jes. ad B. M. M.); quodque dicit: Sitio vehementer honorari in SS. Sacramento, et fere nullum invenio, qui secundum desideria mea me petet, et amorem meum amore rependat. (Jes. ad B. M. M.)

4. *Praxis* erit: adorare SS. Cor, maxime in Visitat. SSmi. mane et per diem et vespere; in Sacrif. Missae, in SS. Comm. et semper; juxta haec: O si scires donum Dei, et quis est, qui dicit tibi: da mihi bibere (Jo. 4.). Ut autem rite adores, facies cor tuum rectum, nam cor rectum inquirit scientiam (Prov. 27), et sciens Deum suum (sicut Cherubim) ipse obtinebit et faciet. (Dan. 11.)

5. O Jesu Cor, adoro Te!
Et toto corde laudo Te!

Digitized by Google

Nam solus tu Rex meus es!
Et cordis mei Deus es!

OFFICIUM IX.

AMATOR,

unitus choro Seraphim.

1. Contemplare nunc flammas, quibus ardet SS. Cor et hoc ipsum Cor SS. fulgens sicut sol, dum illud circumdant Seraphim amantes et cantantes: Triumphat amor, amor fruitur: amor SS. Cordis exhilarat (alia visio B. M. M.); et audi: *Ignem veni mittere in terram, et quid volo, nisi ut accendatur!*

2. Considera 1° *Seraphim* esse, quae — quia ita Deo conjuncta sunt, ut inter haec et Deum nulli alii spiritus intersint, — tanto magis ardent, quanto hunc vicinius vident; quorum profecto flamma amor est. (S. Greg.) 2° Verbum esse, cujus gloriam vidit Isaias (Is. 12) clamantibus Seraphim: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth; plena est omnis terra gloria Ejus. (Is. 6.) 3° Quam ardenter igitur Seraphim imitari debeas in amore erga hoc Cor Jesu, cujus amor praeterea immensus et divinus est, quodque caritate perpetua dilexit te, et ideo attraxit te miserans tui (Jer. 31). Sciens autem Deum intueri cor, et amorem in operatione consistere (S. Ign.), pete primum ut inclinet SS. Cor corda nostra ad se (III. Reg. 8), et ut sit quoque cor nostrum perfectum cum Domino Deo nostro (ib.), deinde operare bonum, et amore consumere.

3. *Motivum* erit, quod singulari prorsus cura internum spiritum colere necesse sit. Atqui hic discitur potissimum ex SS. Corde Jesu.

4. *Praxis* sit: 1° Imitari S. Aloysium, qui frequentissime cordis jacula jaculabatur in Cor Divini Verbi (rev.

Digitized by Google

S. M. de Pazzi). 2° Adjungere te Seraphim, et petere, ut pro te adstent coram SSmo., ut B. M. M., quae angelos suos fideles socios in hac devotione vocabat. 3° Tum hic, tum alias semper Reginam etiam angelorum invocabis, et per eam et cum ea omnia tua offeres; ipsa enim plus omnibus SS. Cor amavit, ei servivit, pro eo zelata est, atque ad illud omnium corda adducere studuit.

5. O Jesu Cor! conjuro Te,
Fac toto corde ego amem Te,
Nec tu mercede dona me,
Nisi hac quam Pater docet me:
Ut magis semper amem Te.

B. Eorundem officiorum formula brevior.

I. ADORATOR.

Adorator per frequentem SS. Trinitatis adorationem interne factam, et in unione laudum, quae illi a SS. Corde Jesu incessanter tribuuntur, pro mundo, Dei immemore, apud eam supplere conabitur. Cum *Choro Dominationum* repetet Sacrum trisagium *Sanctus* etc. . . . ., et offeret SS. Cordi Jesu merita Beatae Matris ejus, ut Illa intercedente quidquid boni per orbem terrarum fit ad majorem ejus gloriam consecretur.

Visitans SS. Sacramentum petet pro omnibus spiritum fervoris.

Virtus. Majori cum zelo negligentiam omnem coram SS. Sacramento arcere.

Jaculator. Cor Jesu flagrans amore mei,
Inflamma cor meum amore Tui!

II. AMANS.

Amans compensationem faciet pro indifferentia, qua tot SS. Cordi Jesu consecrati languescunt. *Seraphinorum*

Digitized by Google

Choro unitus saepius ad SS. Cor actus amoris diriget et beatis illis spiritibus curam committet, ut de nocte vices ejus agant. Beatissimam Virginem, Matrem pulchrae dilectionis, rogabit, ut illam in cordibus omnium, maxime tepidorum, generet.

Virtus. Fidelitas in minimis ex amore.

Jaculator. Cor Jesu flagrans amore mei,
Inflamma cor meum amore Tui.

III. DISCIPULUS.

Discipulus diligentem SS. Cordi Jesu aurem praebebit in oratione et in SS. Sacramento, et desiderabit, ut omnes ejus doctrinam sapiant et hauriant. Frequentabit SS. Cor, ut scholam ubi scientia puri amoris addiscitur. B. V. M. orabit, ut doceat conservare in cordibus nostris omnia verba, Divini Filii sui. In unione cum *Choro Cherubinorum* conabitur, uti et ipsi, SS. Cordis Jesu fulgoribus irradiari. Specialiter petet, ut Divini illi radii infundantur in erroris discipulos, in cujus intentionem recitabit *Veni Creator*.

Virtus. Cura recollectionis et silentii.

Jaculator. Cor Jesu flagrans amore mei,
Inflamma Cor meum amore tui.

IV. MEDIATOR.

Mediator petet ab aeterno Patre, ut SS. Cor Jesu notum omnibus faciat; et a Spiritu Sancto, ut omnes amore illius inflammet; a B. V. Maria, ut, intercessione tantae Matris mediante, Divini hujus Cordis efficaciam sentiant, quotquot ad ejus misericordiam confugerint. Cum *Choro Thronorum* societatem inibit, ut cum ipsis tributum amoris ei offerat, frequenter in hoc dulcissimi Cordis penetrale secedens.

Digitized by Google

Visitabit semel SS. Sacramentum omnium nomine, ut eorum corda SS. Cordi Jesu perfecte subjiciantur.

Virtus ejus erit, ut amorem erga SS. Cor extendat et confirmet.

Jaculator. Cor Jesu flagrans amore mei,
Inflamma cor meum amore tui.

V. REPARATOR.

Reparator magna cum humilitate veniam a SS. Corde Jesu petet omnium quas in SS. Sacramento accipit injuriarum. Frequenter per diem in SS. Corde Jesu tanquam in amoris ergastulo se includet, et B. V. Mariae purissimum Cor petet, ut meritis SS. Cordis ipsius reparatoris insufficientiae suppleatur. *Chorum Potestatum* vocabit in adjutorium suum. Feria quoque sexta actum reparationis faciet SS. Cordi pro omnibus, qui illi displicent.

Virtus. Accuratior regularum observatio.

Jaculator. Cor Jesu flagrans amore mei,
Inflamma cor meum amore tui.

VI. SERVUS FIDELIS.

Servus Fidelis sollicitus erit, ut gloria SS. Cordis Jesu quoquoversus diffundatur. Ad hunc finem visitationem SS. instituet et in suas partes vocabit B. V. Mariam, cujus ortus gaudium attulit universo mundo, quia ex ea ortus est Sol justitiae, Christus ac Dominus noster. *Novem Choros Angelorum, Principatuum* in specie invocabit, ut radios hujus solis ad tot infideles haereticos, peccatores, tepidos etc pervenire procurent.

Novies dicet *Gloria Patri.*

Virtus. Colloquia excitare, quae grata sint SS. Cordi Jesu, et illa cum prudentia removere, quae illi displicent.

Digitized by Google

Jaculator. Cor Jesu flagrans amore mei.
Inflamma cor meum amore tui.

VII. SUPPLEX.

Supplex plenus confidentia propter merita SS. Cordis Jesu accedat et offerat Aeterno Patri supplicationes pro necessitatibus omnium. Orabit in specie pro agonizantibus et animabus in purgatorio detentis. In Visitatione SS. supplicabit SS. Cordi Jesu, ut suarum misericordiarum memor sit atque ad hunc finem B. V. Mariae intercessionem petet: in hujusmodi visitatione socios sibi efflagitabit *custodes Angelos* et eorum chorum integrum.

Virtus. Caritatis et humilitatis officia.

Jaculator. Cor Jesu flagrans amore mei,
Inflamma cor meum amore tui.

VIII. VICTIMA.

Victima in spiritu sacrificii vivere procuret ad placandam Dei indignationem contra peccatores. Sui oblationem faciet SS. Cordi Jesu vitam sacrificii in SS. Sacramento viventi, et dicet: *Amen*, cum intentione sibi aptandi ardentissimae ejus caritatis dispositiones. In hujusmodi spiritu visitabit SS. cum *Choro Virtutum*. Conabitur induere animum B. V. tum in purificatione primogenitum suum Aeterno Patri generose offerentis, tum juxta Crucem praesentia sua et consensu eundem viriliter immolantis. Actum consecrationis faciet quaque feria sexta.

Virtus. Mortificatio imaginationis et affectuum.

Jaculator. Cor Jesu flagrans amore mei,
Inflamma cor meum amore tui.

IX. ZELATOR.

Zelator sollicite quaerat et in hoc glorietur, ut catenis

Digitized by Google

illis oneretur, quae captivum in SS. Sacramento Cor Jesu vinciunt. Servitutis suae professionem saepe renovet, dicens: *O Domine, quia ego servus tuus;* et in omnibus quaerens voluntatem ejus facere atque propriam omnem relinquere. In visitatione SS. Sacramenti offerat omnia sua opera bona ad impetrandum, ut omnes illi perfecte serviant. Orabit B. V. Mariam, ut aliquatenus imitetur dispositiones admirabiles illius Cordis, quando dixit: *Ecce Ancilla Domini. Chorum Angelorum* invitabit ad quaerendos quamplurimos, qui SS. Cordi inserviant, et ter recitabit *Pater Noster.*

Virtus. Perfecta obedientia.

Jaculator. Cor Jesu flagrans amore mei,
Inflamma cor meum amore tui.

§. IV.

Piae aspirationes ad SS. Cor Jesu.

Preces jaculatoriae ad Cor Jesu.

(Ex P. Schauenburg.)

Bonum Cor Jesu! quando tandem et meum cor erit bonum, bonum propter Te, bonum pro Te?

O misericordissimum Cor! miserere aliquando hujus mei tam miseri cordis. Ita rogo Te per Cor optimum Matris tuae.

Cor Jesu! cor novum crea in me, et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Cor Jesu! quamdiu extra Te ad creaturas evagabitur seductum et miserum cor meum?

Cor Jesu! quam bonum et quam jucundum est habitare in Te!

Cor Jesu! superamabilissimum! quis separabit cor meum ab amore Tui! Tu scis, quia amo Te.

Digitized by Google

Cor Jesu! quando mihi aut bene fuit, quum fui extra Te; aut quando male mihi fuit, quando fui intra Te!

Cor Jesu! in cujus potestate sunt omnium hominum corda, subjice aliquando Tibi et meum cor.

Cor Jesu! nolo esse in ullo creaturae alicujus corde, corde instabili et fallaci. Si Tu me ames, satis est.

Cor Jesu! O ut regnes in omnium cordibus! vince tandem tot rebellia corda, et vive omnipotens Rex cordium.

Cor Jesu! o quam bonum Cor es iis, qui recto sunt corde.

Cor Jesu! totum me absconde intra Te, ne peream extra Te.

O Jesu! sicut non est amor, sicut amor tuus, sic non est cor, sicut Cor tuum.

Cor Jesu, Cor carneum! emolli et meum, et tot aliorum hominum corda. Quae facta sunt propter Te, emolliantur aliquando pro Te.

Cor Jesu! Cor divinissimum! quamdiu non toto corde amabo Te? Heu! amor non amatur.

Cor Jesu! infelix momentum, quo Te non amavi: infelicius adhuc, quo Te etiam offendere ausus fui!

O! si fuissem loco illius lanceae, exire de vulnerato Jesu Corde noluissem, sed dixissem: haec requies mea in saeculum saeculi; hic habitabo, quoniam elegi eam.

Cor Jesu! quis cognoscet, quae sit latitudo et longitudo, quae sublimitas et profunditas amabilitatis et amoris tui!

O Jesu! quid est homo, quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum Cor tuum!

Cor Jesu! o ut Te haereticis, Turcis, idololatris praedicare liceat! quanta voluptas esset pro Te dare cum omni sanguine etiam cor meum, cor pro Corde, cor miserum pro optimo et incomparabili Corde!

Digitized by Google

Filii hominum! usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem, et quaeritis mendacium? quaerite Cor Jesu, et invenietis requiem cordibus vestris.

Cor Jesu! fac mecum, quod vis; scio enim, quod longe melius mihi velis, quam ego mihi ipsi. Amas me plus, quam ego me ipsum amem.

Cor Jesu! quomodo aspiciam vulnus tuum, et non vulnerabitur cor meum? Nolo esse sine vulnere saltem amoris, quum Te videam vulneratum.

Qui non amat amabilissimum Cor Jesu, anathema sit.

O Jesu! nollem habere cor, si eo non possem amare tuum tam bonum Cor.

O miseri mortales! quam erratis corde, quotquot aberratis a Corde Jesu!

Cor Jesu! quod pro me transfixum es in cruce, figaris mihi in corde.

Cor Jesu! sis mihi in vita solatium, in morte viaticum, in aeternitate praemium.

Cor Jesu! ecce! incircumciso sum corde. Aufer, quaeso, quod Tibi in eo displicet: imo totum cor aufer, quia nullum cor desidero, nisi Te ipsum.

Cor Jesu! Tu corda nosti omnium, et finxisti singillatim corda eorum. Miserere tot cordium non amantium Te. Ama, ut ament: ama, ut redament.

O ubi estis tot hominum corda? Ad Cor Jesu mei revertimini praevaricatores. Convertimini in toto corde vestro: scindite corda vestra, et facite vobis cor novum.

Cor Jesu oblivioni datum, et in tot hominum cordibus mortuum! ah! per quot templa jam solum es in amoris tui Sacramento! In his omnibus praesens esse cuperem, ut loco omnium mortalium Te ibi cum Angelis adorare, laudare, amare possem.

Digitized by Google

Pereat hoc momento cor meum, si vel gutta sanguinis ibi sit, quae non caleat amore Cordis Jesu mei.

Cor Jesu mitissimum, humillimum, patientissimum etc. quam dissimile adhuc Tibi est cor meum!

Cor Jesu! quam gaudeo propter Te, eo quod non pauci habeant Te in corde suo. Auge, quaeso, in dies numerum ex toto corde Te amantium.

Defecit caro mea, et cor meum in Te, o Cor Jesu mei!

Cor Jesu! da, quaeso, ne coram Te cor meum unquam reprehendat me. Da cor innocens, ut in eo Tibi complaceas.

Laetetur cor quaerentium Cor amabilissimum Jesu Dei mei.

Cor meum! delectare aliquando in solo Corde Jesu et dabuntur tibi petitiones tuae.

O Jesu! praebe mihi Cor tuum. O quanto aptius illud meo quam tuo pectori quadraret; si enim in me esset, amaret Te amore dignissimum. Dum vero nunc est in Te, amat me non tantum nullo amore, sed etiam odio dignissimum.

Cor Jesu! dulcissimo vulneri Tuo commendo me, et mea omnia, amicos, benefactores, parentes, consanguineos, hanc domum, hanc urbem, patriam meam, superiores meos, inimicos meos, peccatores praesertim obdurati cordis, omnes animas in purgatorio etc. Specialiter autem commendo omnes eos, qui mecum foedus inierunt Te colendi, et amandi. His benedic secundum plenitudinem bonitatis Tuae.

O Cor Jesu, rogo Te,
Ne permittas mori me,
Antequam non toto me
Imiter, amemque Te.

Antiph. Ave, admirabile Cor Jesu, te laudamus, te benedicimus, te glorificamus, tibi gratias agimus, tibi cor

Digitized by Google

nostrum offerimus, donamus et consecramus: accipe et posside illud totum: purifica, illumina et sanctifica, ut in ipso vivas et regnas in perpetuum. Amen.

℣. Jesu, mitis et humilis Corde:

℟. Fac cor nostrum secundum cor tuum.

Oremus.

Respice, quaesumus, Domine, in faciem et in Cor Christi tui, et sacris quibus ardet ignibus ita corda nostra comburas, ut nihil nobis sapiat, nihil nos delectet, nihil nos alliciat, praeter ipsum Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

Affectus animae devotae, Rhythmo expressi, ad Sanctissimum Cor Jesu Christi.

O divinum Cor, aveto!
Te saluto corde laeto,
Te complecti me delectat;
Istud unum quod affectat
Cor ad Deum sitiens.

O quis amor Cor urebat!
Quis te zelus tunc urgebat!
Quum te prorsus exhaurires,
Ut te nobis impertires,
O fons indeficiens!

O mors dira, mors amara!
Vah! immitis et avara,
Quae nec Jesum praeteristi;
Quin hunc telo feris tristi,
Rumpens Cor dulcissimum.

Digitized by Google

O per mortem, quam tulisti,
Et Cor fodi permisisti,
Meum, precor, intellectum,
Redde simul et affectum
Cordi tuo consonum.

In medullam cordis mei,
O fac summae dator spei
Tuus amor inseratur;
Meus in te transferatur
His caducis altior.

Quisquis amat, sed sincere,
Hoc quod loquor, sentit vere:
Nullus modus est amori.
Pro dilecto cogit mori,
Amor morte fortior.

Amans vivit per amorem,
Nescit moras, vincit morem.
Quidquid jubet Praedilectus,
Promptus capit hoc affectus,
Nulli cedens aspero.

Sit haec prima mihi cura,
Ut te mente quaeram pura,
O quam vere tunc laetabor!
O quam felix gloriabor!
Jesum quum possedero.

Pande Cordis tui sinum;
Scis queis meum sit vicinum.
En, mi Jesu, cor paratum!
Cape, ne vis potestatum,
Caro, mundus rapiat.

Digitized by Google

Huc anhelat, huc movetur,
Ubi cubet et moretur,
Nil prae Jesu lubet scire,
Nec terrenum quid ambire,
Ut te solum sapiat.

Ant. Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

℣. Haurietis aquas in gaudio:

℟. De fontibus Salvatoris.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui ineffabiles Cordis tui divitias Ecclesiae sponsae tuae singulari dilectionis beneficio aperire dignatus es: concede propitius, ut gratiis coelestibus ex hoc divinissimo fonte manantibus corda nostra ditari ac recreari mereantur. Qui vivis.

Sensa animae SS. Cordi Jesu devotae.

Cor Jesu, magnes cordium,
Amoris domicilium.
Cor meum attrahe.
Tu amas et non redamo,
Tu ardes, ego frigeo;
Hoc frigus exime.

Cor Jesu non obstantibus
Tot culpis et tot sordibus
Me reum diligit;
Et Jesum, licet omnibus
Dignissimum amoribus,
Cor meum negligit?

Digitized by Google

Mirabile compendium
Mysteriorum omnium
Est mensa Domini:
Hic Jesus semper nascitur,
Occultus vivit, patitur,
Unitur homini.

Hic Cordis Jesu intima
Se pandunt penetralia,
Hic flamma proruit.
Te, Jesu Eucharistice,
Sub niveo velamine
Quo amor abripit!

Tot video incendia,
Quot video altaria,
In quibus latitas.
Sub ipso meo pectore
O! Hospes divinissime
Quam frequens habitas!

Haec prorsus ineffabilis
Dilectionis extasis
Quas grates recipit?
Ah! Esca sacratissima
Recipitur cum nausea,
Et prope viluit.

Continuis sacrilegi,
Judaei, magi, ethnici
Te petunt odiis.
Est amor plane nimius,
Quo, Jesu, te tot hostibus
Inermem objicis.

Digitized by Google

Si te non curant alii,
Privati dono fidei,
  Blasphemos censeo.
Me ipsum quem nunc censeam,
Si credam, et non diligam?
  Me ipsum horreo.

Detestor cor insensile,
Ni amem, nolim vivere.
  Te Jesum diligo.
Vos flammae cor corripite,
Et gelu cordis solvite;
  Ardere cupio.

Scrutabor tua decora
In corpore et anima,
  Ut flammas nutriam;
Ingrediar sanctissima
Divinitatis adyta,
  Ut totus ardeam.

Per plana et per ardua
Perfecta sit concordia
  Nostrorum cordium.
Hinc memet ipsum exuo,
Et sensus tuos induo;
Non meus, tuus sum.

Ad te cor meum avolat,
Cor Cordi se associat;
  Dignare diligi.
Concede semper tacito
Affectuum commercio
  Me tibi colloqui.

Digitized by Google

Cor tuum sit perpetua
Pro corde meo victima.
Quid ego immolo?
Mactata cordis vitia
Sunt mea sacrificia,
Quae tibi offero.

Amoris tui area
Est tota mundi orbita;
Tot aras incolis.
Abibo mente peregre,
Et, quando licet, corpore,
Inquiram, ubi sis.

Jam visam solitarium,
Piorum jam sub hominum
Latentem cordibus,
Nunc labris morientium,
Mystarum nunc litantium
Haerentem manibus.

Quocunque te invenero
Amoris in negotio
Haerebo lateri.
Hae meae sunt deliciae,
Si detur tecum vivere,
Amori immori. Amen.

Ant. Speravit cor meum in Domino et adjutus sum, et refloruit caro mea.

℣. Cor Jesu, caritatis victimam:

℟. Venite adoremus.

Digitized by Google

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui ineffabili caritatis miraculo, ut mortalium corda tibi tota devincires, sacratissimum corpus tuum ipsis in pabulum impertiri dignatus es; exaudi supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis, et in quos suavissimi Cordis tui affectus dirigis, in eos misericordissimae pietatis oculis benignus intende, ut dignum tibi in hoc sacro mysterio obsequium exhibentes, ejusdem sacratissimi Cordis accendamur affectibus, et dignis in aeternum laudibus ejusdem divini Cordis erga nos effectus prosequamur. Qui vivis.

Invocationes SS. Cordis Jesu in forma **Litaniarum** propositae a P. Eudes.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Jesu audi nos. — Jesu exaudi nos.

Pater de coelis Deus,
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Cor Jesu, divinissimum,
Cor amantissimum,
Cor mitissimum,
Cor humillimum,
Cor misericordissimum,
Cor fidelissimum,
Cor Patris aeterni,
Origo Spiritus sancti,
Plenitudo divinitatis,
Sanctuarium Trinitatis,

} Miserere nobis.

Digitized by Google

Thronus divinae voluntatis,
Cor Virginis Matris,
Cor adorabile,
Cor amabile,
Cor admirabile,
Cor incomparabile,
Fornax amoris,
Miraculum sanctitatis,
Norma patientiae,
Speculum obedientiae,
Exemplar virtutum,
Fons omnium gratiarum,
Amore vulneratum,
Dolore disruptum,
Lancea transfixum,
Templum caritatis,
Altare dilectionis,
Sacerdos cordium,
Thuribulum aureum,
Holocaustum aeternum,
Calix inebrians,
Nectar deificans,
Consolator afflictorum,
Refugium peccatorum,
Zelator animarum,
Raptor cordium,
Pax nostra carissima,
Spes nostra dulcissima,
Cordis nostri gaudium,
Cordis nostri Cor dilectissimum,
Cordis nostri thesaurus,
Cordis nostri paradisus,

Miserere nobis.

Digitized by Google

Vita cordis nostri, — miserere nobis.
Rex cordis nostri, — miserere nobis.
Propitius esto, — parce nobis Jesu.
Propitius esto, exaudi nos Jesu.
Ab omni peccato, — libera nos Jesu.
A superbia vitae,
Ab inordinato amore,
A caecitate cordis,
A neglectu inspirationum tuarum,
A morte perpetua,
Per Cor tuum amantissimum,
Per maximum ejus in peccatum odium,
Per infinitum ejus in Patrem aeternum amorem,
Per dulcissimam ejus in matrem sanctissimam dilectionem,
Per summum ejus erga crucem affectum,
Per acerbissimos dolores illius,
Per ipsum amore et dolore in morte disruptum,
Per aeterna ejus gaudia,
} Libera nos Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — parce nobis Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — exaudi nos Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, — miserere nobis Jesu.
Jesu, audi nos.
Jesu, exaudi nos.

Ant. Oculi omnium ad te convertuntur, o Cor sacratissimum amantissimi Jesu! vitam gratiae a te accipient, et omni benedictione et gaudio replebis eos.

℣. Deliciae Cordis Jesu:

℟. Esse cum filiis hominum.

Digitized by Google

Oremus.

Deus, qui propter nimiam caritatem tuam nos Unigeniti tui membra et filios tuos efficiens, cor unum cum capite et patre nostro habere voluisti: praesta, quaesumus, ut igne tui amoris et flamma caritatis Cordis amantissimi Jesu accensi, tuam in omnibus voluntatem corde magno adimpleamus; et quae recta sunt desiderantes, desiderata percipere mereamur. Per eundem D. N. J. Ch.

Salutatio vulneris lateris Domini.

Salve, o benedictum vulnus lateris tui, mi Jesu! Salve o fons amoris, o thesaurus inaestimabilis, o requies animae meae! Ausim, o benignissime Jesu, ad sacram hanc aram, hoc sanctum sanctorum accedere, ardensque amore Cor tuum deosculari. Per infinitam bonitatem tuam oro te, mi Jesu, ne hoc solatio me privare, nec ab hac unici mei refugii domo arcere velis. Eja, anima mea, accurre cum fiducia ad thalamum suavissimi Sponsi tui; hic te omnibus molestiis tuis ac curis, quibus opprimeris, exonera; hic desideria tua et cupiditates exple; hic optatissima pace conquiesce. Videor mihi, o Jesu, amore tuo duce, per amabilissimum sacri lateris tui vulnus ad Cor tuum intromitti. Hic te cum profundissima humilitate, o Jesu, oro, ut ignoscas, quidquid unquam corde, ore aut opere in te peccavi. Hoc sacro sanguinis balneo munda cor meum et benedicti Cordis tui formam ac speciem imprime, tuique amoris igne accende, ne quidquam in posterum praeter te amem aut desiderem.

Ad sacratissimum hoc Cordis tui vulnus omnia cordis mei vota ac desideria pono: ita, oro, cor meum Cordi tuo adstringe, ut nullo unquam tempore ab invicem avellantur; ut vere cum Apostolo exclamem: Quis nos separabit a cari-

Digitized by Google

tate Christi? an tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque creatura alia poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Jesu Domino nostro.

℣. Contritum est cor meum et aruit tanquam cera liquescens.

℟. In medio ventris mei.

Oremus.

Placeat tibi, sanctissime Jesu, qui voluisti divinissimum Cor tuum lancea aperiri, sic cor meum sancti amoris tui lancea ferire, ut nihil queam velle, quod non idem et tu vis. Ingrediatur, Domine, anima mea vulnus Cordis tui, et pergat usque ad sedem tuae Divinitatis, ut ibi adorem te Deum meum pro me crucifixum et mortuum, et rejiciens a memoria omnium rerum visibilium figuras ad te solum respiciam, et te solum in omni re praesentem habeam. Qui vivis et regnas.

Hymnus.

Salve scissum cum dolore
Jesu Cor dulcissimum,
Nobis patens ex amore.
Praesta cordis gaudium;
Det virtutem cum splendore
Caritas incendium.

O quam immensa caritas!
O Cordis mira bonitas!
Jesu, te totum tribuis,
Nobis Cor tuum aperis.

Digitized by Google

Colloquium de amabili Corde vulnerati Jesu[1]. Invenit servus tuus Cor suum. (2. Reg. 7. v. 27.)

O dulce, forte, grande Cor!
O cordium corona!
Da quaeso, Christe, da mihi
Cor hoc habere cordi!

En Jesu vulnerate! servus tuus loquitur corde ad Cor: ex suo ad tuum, de tuo suoque Corde. Utique fidelis est sermo (Tim. 1. v. 15.) cordis: mentiri non potest cor, quum tibi loquitur; falli potest, quando sibi blanditur. Tu enim scrutaris corda et renes Deus (Psal. 7. v. 13.) et melius nosti ea, quae sunt in corde, quam animus, qui est inquilinus cordis. Loquere ergo et tu mihi Corde ad cor: ex tuo ad meum, de meo tuoque Corde: et erit sermo omni acceptione dignus. Inanis est sonus, qui ore prolatus, aures pulsat, et cor non ferit. Plus potest verbum menti illapsum, quam mille orationes auribus blandientes. Taceant omnia: unum loquatur Verbum, sed aeternum. Loquere ergo tu radiis; loquar ego suspiriis: haec tu intelligis: ego nihil sine illis. Magnum loquendi argumentum erit, Cor sive tuum sive meum. Cor tuum est adorandae Trinitatis sacrarium, adeoque sacrosanctum; cor meum receptaculum iniquitatis, ideoque pravum et inscrutabile (Jerem. 17. v. 19.). Cor tuum est sedes sapientiae; cor meum cavea stultitiae: Cor tuum scaturigo gratiae et virtutis; cor meum lacuna sordium et vitiorum. In tuo regnat caritas; in meo dominatur pravitas: in tuo ardet flamma devotionis; in meo friget glacies torporis: in tuo quiescit pax perennis; in meo tumultuatur perturbatio frequens et molesta. Tuum semper

1) Ex libro Joannis Paulini S. J. († 1671): *Pia cum Jesu vulnerato colloquia*, colloq. XXI.

Digitized by Google

coelo patet, clausum est terrae; meum terrae panditur, clauditur coelo: tuum divinis laudibus personat; meum importunis curarum stridoribus reboat: tuum tibi Deoque firmiter adhaeret, obsequitur, laborat; meum vero quoties me deserit, fugit et extra me per vanitates et insanias falsas (Psal. 39. v. 5.) oberrat facitque, ut sim ego sicut Ephraim, columba seducta et non habens cor! (Ose. 7. v. 11). Quid faciam, Domine? Quaeram? at saepe frusta quaero. Latet immersum luto faecis terrenae. Amor proprius abripuit, abscondit, detinet callidus nequam et fur sacrilegus. Aliud ergo quaerendum mihi cor duxi, et tibi sit laus, mi Jesu, modo reperi. Video enim sacratissimum pectus tuum lancea apertum, et in illo Cor tuum, imo meum. Tu siquidem mihi datus, mihi natus es, mihi passus, mihi vulneratus, mihi mortuus, totus quantus es, meus es, ex dono tam Patris, quam tuo: ergo et Cor tuum jam etiam meum est. Et hoc mihi sufficit, jam aliud cor non quaero. Cum hoc Corde semper cordatus ero, nunquam excors. Sine hoc Corde vita mors est: quod qui habet, vivit. Salve ergo millies, iterumque millies Cor divinissimum, salve thronus Deitatis, abyssus gratiarum, templum gloriae. Salve summi Patris delicium, Filii aeterni tabernaculum, Spiritus sancti sacrarium. Salve Deiparae corculum, Angelorum gaudium, animarum sanctarum centrum. Salve magnes piorum cordium, justorum domicilium, peccatorum asylum. In te Pater hominem renovat, quem creavit; ex te quem Filius salvat, redemit; per te quem Spiritus sanctus sanctificat, illuminat. In te salus animae, vita Spiritus, initium, profectus, finis perfectionis. Ex te fluit aqua Baptismatis, Chrisma Confirmationis, vis et fructus sacramentorum omnium. Tu Sancta Sanctorum, tu propitiatorium Numinis, tu altare thymiamatis. Tu schola sapientiae christianae, palaestra vitae perfectae,

Digitized by Google

officina beatitatis aeternae. Ad te anhelat anima, suspirat mens, festinat spiritus. Ad te tendo manus, levo oculos: desideria, preces, et vota dirigo: Te amo, te veneror, adoro. Te laudo, glorifico, exalto! In te transire, in te habitare, in te vivere, et mori desidero. In te omne gaudium meum, gloria mea, virtus mea, thesaurus meus, divitiae meae, quies et pax mea, vita et salus mea, omne bonum meum. Ah Jesu, ah Jesu! sine ut ingrediatur anima mea in Cor tuum: concede et mihi in illo angulum, qui nullum peccatorem excludis, et voluisti, ut lancea aperiret, quod omnibus pateret. Hic paradisus meus, hoc sepulcrum meum, haec requies mea in saeculum saeculi: hic habitabo, quoniam elegi eam. (Psal. 131. v. 14.) Fuit equidem Cor tuum in cruce afflictum, angustiatum; moerore, dolore, taedio, pavore pressum: singultibus, suspiriis, poenis repletum; injuriis, calamitatibus, et ipsius mortis cruciatibus obsessum; semper tamen liberum, non subjectum: semper altum non abjectum: semper dulce, numquam amarum: grande, non contractum: sincerum, non perversum: paratum ad plura et majora, plenum devotione, invictum patientia, inflammatum caritate, Deo semper conjunctum, et immersum. Tunc, tunc mi Jesu, et ego eram in Corde tuo, de me quoque cogitabas, pro me sanguinem tuum offerebas: mihi coelestem gloriam merebaris: ita firmissime credo, et de infinita bonitate tua spero. Jure ergo ad Cor tuum confugio, in quo nomen meum lego: ibi vivere et mori volo, ubi Deo per sanguinem et spiritum renatus sum: ibi accendi, ardere, liquescere cupio, unde primas fidei, spei, caritatis flammulas hausi. In hac schola discam, in hoc sacrario litabo, in hac curia consultabo, in hoc theatro dimicabo. Ex hoc aerario ditescam, ex hoc promptuario victitabo: in hoc lectulo quiescam. Veniant hostes, pluant cruces, irruant dolores, invadant tentationes:

Digitized by Google

caro, mundus, orcus oppugnent: morbi, poenae, mors ipsa premat. In tuo Corde manebo, cum illo me conformabo, ex illo praesidia capiam: laetus, salvus, beatus ero, dum in illo perstitero. Te ergo per sacratissimum Cor tuum oro quaesoque, mi dulcissime Jesu, ignosce audaciae. Amor et necessitas non habent legem, saepe modum transiliunt. Tuo honori consultum puto, dum meae saluti consultum eo. Et quod aliud salutis remedium et pignus habeo quam Cor tuum? si excludas, non recedam; sedebo ad ostium et pulsabo, donec vel in vita, vel in morte aperias. Nunc enim invenit Cor suum servus tuus (2. Reg. 7. v. 27), quod sub amoris proprii palliolo terrenis rebus implicitum latebat. Nunc illud in sacratissimum latus tuum abscondo, et includo; nunc ab omnibus rebus, quae Deus et divinae non sunt, vel ad Deum non ducunt, penitus avello et segrego; tuo dulcissimo Cordi committo, dono, consecro. Vulnera illud, obsecro mi Jesu vulnerate, lancea, quae confixit Cor tuum: affige clavis, qui confoderunt sanctissimas manus pedesque tuos: accende flamma caritatis tuae, munda sanguinis tui lavacro: illustra sapientiae tuae lumine: imple spiritus tui bonitate. Fac illud grande, ut totum mundum pro nihilo ducat: altum, ut omnia fluxa despiciat: dulce, ut suaviter cum omnibus agat: forte, ut omnia adversa ferat: pium, quod semper coelestia volvat: cor, inquam, secundum Cor tuum (Act. 13. v. 22), quod jam tot annis petii, nondum obtinui; quia ego mihi defui, meque indignum feci. Sed, si dignum hominem quaeris, nisi ipsemet dignum facias, nec in coelo, nec in terra invenies. Sicut ergo merito vis dignum, ita clementer in miserationibus tuis multis (Dan. 9. v. 18) ex indigno dignum effice. Tunc potero laetus et securus quocumque loco et tempore dicere: invenit servus tuus cor suum et cum corde suo consilium rectum, animum fortem,

Digitized by Google

mentem puram, gratiam perfectam, gloriam summam, delicias coelestes, beatitatem aeternam; quia cum corde meo inveni et tuum simulque te Jesum meum vulneratum; in te vero Dominum Deum; omne bonum meum. Ego servus Cordis tui: tu Deus cordis mei (Psal. 72. v. 26.).

Hymnus de amore in Jesum.

Salve cordis gaudium,
Salve Jesu;
Pectoris incendium,
Salve Jesu;
Animae praesidium,
Salve Jesu, bone salve Jesu!

Millies Te cogito:
Veni Sponse;
Millies Te quaerito:
Veni Sponse;
Millies Te flagito:
Veni Sponse, care veni Sponse!

Pasce me vulneribus:
Mens dulcescet;
Lacta me uberibus:
Cor liquescet;
Merge me visceribus:
Spes virescet, vita repubescet!

Nihil Te est suavius,
Suavis amor!
Nihil Te est dulcius,
Dulcis amor!
Nihil Te est mitius,
Mitis amor, Jesu, dulcis amor!

Digitized by Google

Rigeo, accende me,
O Amator!
Langueo, solare me,
O Creator!
Morior, defende me,
O Salvator! Jesu mi Salvator!

§ V.

Variae praxes colendi amabilissimum Cor Jesu.

A. Consecratio Sanctissimo Cordi Jesu facienda.

1. Ex actis S. Sedis.

a. Invitatio Rmi. D. Floriani Desprez, AEppi. Tolosani, ad omnes Eppos. catholicos circummissa d. 26. Octob. 1874.

Rme. et Illme. Dne. Veniam humiliter peto quod rem maximi momenti Tibi proponere audeam. Sane maluissem in hoc incoepto, ut par erat, post omnes totius orbis Episcopos ultimum locum tenere; sed eae sunt conditiones in quibus versor, quae me non sinant hac moderatione uti.

Quum magna illa sodalitas Apostolatus orationis, seu Confoederatio SS. Cordis Jesu, Sanctae Sedis auctoritate stabilita, veluti suum centrum generale habeat in mea archiepiscopali urbe, mihi Divina Providentia munus mandavit piae sodalitatis tuendae, ejusque moderatorum consiliis favendi, quaecumque mihi laudanda videantur.

Quae quum ita sint, mea me conscientia neglecti officii accusaret, nisi eorumdem moderatorum votis obsequerer de iis quae breviter expositurus sum.

Illi jamdiu per universum orbem catholicum, scriptis periodicis, magnoque juvante sodalium exercitu, felix consilium propagarunt a Summo Pontifice postulandi, ut orbem univer-

Digitized by Google

sum Sacratissimo Cordi Jesu consecrare dignetur. At praeter eam postulationem, quae communia fidelium vota exprimat, jure ac merito existimant postulationem quae propria sit Episcoporum, quum multo efficaciorem fore, tum cordi Summi Pontificis majori solatio.

Igitur a me, utpote ab Episcopo supradictae sodalitatis, petierunt ut formulam precationis hoc in fasciculo inclusam, meis in episcopali munere venerabilibus collegis proponerem, quam subscriberent, iis mutatis, quae ipsis mutanda viderentur. Quod si respuerem ea vota, profecto Cor adorabile summi Pastoris offenderetur, dum contra et ab illo sperare mihi licet gratiarum copiam affluentem et a Te, Rme. et Illme. Dne., benignam indulgentiam, quod primus id consilium fidenti animo protulerim.

Non Te latet jam inde a Concilii Vaticani tempore majorem cardinalium numerum, necnon et plerosque alios, qui Romae aderant, Praelatos nomen suum libello supplici inscripsisse, quo rogabatur summus Pontifex, ut Ecclesiam universam Cordi Jesu solemni ritu consecraret.[1])

Illam postulationem, ab Apostolatus orationis moderatoribus per totum orbem diffusam, supra decies centena millia sacerdotum aut Fidelium, nomine subscripto, suam fecerunt.

Quae Beatissimo Patri, vergente in finem Concilio, oblata est; at propter maximas perturbationes, quae tunc temporis excitatae sunt, non potuit finem propositum assequi.

Postea res delata est ad SS. Rituum Congregationem, deinde etiam ad Congregationem Cardinalium hunc ad finem institutam. Duplicis hujus disceptationis non videtur exitus votis supplicum suffragatus esse. Ita Dominus noster, quod

1) Vide supra p. 200.

Digitized by Google

jam acciderat de ipsa devotione erga suum Divinum Cor, cujus approbatio, pluries denegata, tandem iteratis precibus impetrata fuit, idem accidere permisit de praxi speciali ejusdem devotionis. Omnia nunc nobis persuadent, post breve tempus, dummodo preces iterentur, quod optamus concessum iri. Nam saepius, et adhuc nuperrime, Beatissimus Pater sese propensum exhibuit ad huic voto annuendum.

Ex eo tempore Fideles novo studio magnae huic postulationi nomina subscribunt; et si dolemus in singulis non planius rectum ordinem servatum fuisse, de re in universum spectata valde laetamur.

Etsi plerique Nostrum Concilii tempore vota sua significaverunt, etsi plurimi ex nostris venerabilibus collegis, una cum Fidelibus nomine suo firmaverunt varias formulas, quae spontaneo pietatis impulsu ubique divulgatae sunt, nonne tamen deceret, Rme. et Illme. Dne., Episcopos separatim suam exhibere precationem, gravioremque et magis definitam? Ex iis quae nuper admodum mihi Roma renuntiata sunt, licet mihi Te certiorem facere, id singularem in modum cordi Pontificis nostri maximi Pii IX pergratum fore.

Itaque, Rme. et Illme. Dne., spero Te benigna mente excepturum esse postulationis formulam, quam Tibi mittere audeo. Scripta est a moderatoribus Apostolatus orationis, qui, primi omnium, in hoc laboraverunt, ut undique consecratio, quae tantum conferret ad honorem Sacratissimi Cordis Jesu, a Romano Pontifice efflagitaretur. Ea porro scripta est, suadentibus Romae eminentissimis viris, et ita, ut vitarentur eae locutiones, quae antea nonnullis objectionibus locum dedere. Nec dubitare fas est, quin hujusmodi postulatio, tum clausularum concinnitate, tum dignitate obsignatorum, plurimum auctoritatis habeat, remque decernat.

Jam plurimi, Illme. ac Rme. Dne., ex nostris venera-

Digitized by Google

bilibus collegis hanc formulam subscripserunt. Idem a Te speramus, nec aptius quidquam est Nobis ad comparanda Dioecesibus nostris et orbi universo bona, quae juxta Divini Salvatoris promissum, fructus erunt hujusce consecrationis, quam nostra auctoritate uti, ut Sacratissimo Cordi maximus persolvatur honor.

Me, quaeso, Rme. et Illme. Dne., habeas excusatum Tibique existimare velis obsequentissimum et deditissimum.

† FLORIANUS, ARCHIEPISCOPUS TOLOSANUS.

b. Literae supplices a 525 Episcopis subscriptae, atque a R. P. Ramière, Directore generali Apostolatus Orationis, Summo Pontifici oblatae ineunte mense Aprili an. 1875.

Beatissime Pater,

Maximo gaudio nuper affecti sumus, quum ea verba nobis relata sunt, quibus Sanctitas Vestra pios quosdam peregrinos allocuta est, qui ad pedes Ejus, vinculis amoris attracti, Petri vincula veneraturi convenerant. Vestra scilicet Sanctitas propensam se ostendit ad annuendum votis, quae Concilii Vaticani tempore a majori Episcoporum parte et ab innumeris fidelibus Ipsi eo fine oblata fuerant, ut catholicum orbem Sacratissimo Cordi Jesu solemni ritu consecraret.

Ex imo corde Sanctitati Vestrae pro verbis istis gratias agimus, ex quibus sperare licet, ut mox fiat quod tantopere a piis Christianis desideratur; ut nempe unanimi totius Ecclesiae supplicatione uberes gratiae a Divino Salvatore Cordis sui cultoribus promissae in Christianam societatem malorum diluvio submersam effundantur. Et sane nimis manifestum est, hisce pessimis diebus exardescere iram Dei contra insensatos et ingratos filios hominum. Sit igitur in Corde Jesu perfugium illis qui non sunt diluvio perituri. Aperiatur in latere illius arcae janua salutis, et nuntietur

Digitized by Google

hominibus jamjam perituris, ut illuc confugiant, ibi securi quiescant, donec ad montem Dei, tuti a tempestate, et ad portum beatae aeternitatis pertingant.

Hoc rogamus et concordibus votis suppliciter a Vestra Beatitudine postulamus:

1° Ut dignetur diem designare, quo Ipsa Sanctitas Vestra, in venerabili Basilica Vaticana, Urbem et Orbem, qua licuerit solemnitate, Sacratissimo Cordi Jesu devovebit et consecrabit in perpetuum;

2° Ut jubeat Praelatos omnes in universo orbe, eodem die suas singillatim dioeceses aut missiones, solemniter eidem Sacratissimo Cordi, una cum Sanctitate Vestra, dedicare, et curare ut illo eodem die parochi omnes et missionarii, superiores omnes regulares, domorum praefecti, monasteriorum moderatores, collegiorum, seminariorum, scholarum, etc. sese suaque omnia, paroecias, missiones, congregationes, domos cum maxima celebritate, Sacratissimo Cordi consecrent et devoveant;

3° Et ut hoc cum majori animarum fructu contingat, et majori erga Sanctissimum Cor Jesu honori et devotioni cedat, suadeatur ut per Triduum fiant aliqua exercitia spiritualia, quibus disponantur fideles ad hoc universale consecrationis festum;

4° Ut velit Sanctitas Vestra Indulgentiarum thesaurum aperire in favorem omnium, qui in hoc actu solemni partem habuerint;

5° Ut quotannis deinceps, die festo Sacratissimi Cordis Jesu, renovetur haec consecratio ad conservandam et augendam fidelium devotionem;

6° Ut hoc idem festum Sanctissimi Cordis Jesu, quod fit post octavam Sanctissimi Corporis Christi, evehatur ad ritum primae classis cum octava et tanquam Patronale totius

Digitized by Google

Ecclesiae celebrari valeat ab omnibus tum regularibus tum saecularibus in omnibus ecclesiis, oratoriis et capellis;

7° Denique, ut si in illo die qui a Sanctitate Vestra designabitur, alicubi haec sacra solemnisque caeremonia fieri non potuerit, liceat illam ibi ad aliquot dies aut menses postponere, cum iisdem gratiis et indulgentiis.

Et Sanctitatem Vestram ad emolumentum Ecclesiae suae, et ad filiorum suorum solamen, diu sospitet Cor Jesu dulcissimum, ex quo bona cuncta Sanctitatis Vestrae apprecamur.

c. *Decretum S. Rit. Congregationis.*

Quamplures ex toto orbe ad Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam IX. Episcoporum postulationes ac pene innumerae Christifidelium petitiones in dies adveniunt, quibus enixe rogatur, ut Ipsa ad fovendam augendamque pietatem erga Sacratissimum Cor Jesu Christi Salvatoris universum mundum eidem Sacratissimo Cordi consecrare dignetur. Jam vero Sanctitas Sua rei gravitatem coram Deo animo reputans, ut aliquo modo pientissimis hujusmodi votis satisfaciat, adnexam orationem approbans, illam quocumque idiomate, dummodo versio sit fidelis, recitandam proponit iis omnibus qui Sacro Cordi Jesu se ipsos devovere voluerint. — Ita sane omnes Christifideles hac unanimi consecrationis formula Divino Jesu Cordi sese devoventes, Sacrosanctae Ecclesiae unitatem clarius asserent; ac in eodem Corde tutissimum invenient et ab ingruentibus animae periculis effugium, et in tribulationibus, quibus hodie divexatur Ecclesia Christi, patientiam, ac in omnibus angustiis firmissimam spem ac solatium. Voluit itaque Sanctitas Sua, ut per praesens Sacrorum Rituum Congregationis Decretum mens sua omnibus Locorum Ordinariis pateat, ac ad illos praefata

Digitized by Google

precationis formula transmittatur; ut si ita in Domino judicaverint, et ovium sibi commissarum bono expedire censuerint, eam edendam curent; ac Fideles ipsos hortentur, ut illam vel conjunctim vel privatim recitent die 16. Junii vertentis anni, qua secundum Centenarium recurrit a revelatione facta ab ipso Redemptore Beatae Margaritae Mariae Alacoque devotionem erga Cor Suum propagandi [1]). Omnibus vero Fidelibus, qui enunciata die id effecerint, Sanctitas Sua plenariam Indulgentiam, animabus quoque Purgatorii applicabilem, in forma Ecclesiae consueta concedit, dummodo vere poenitentes, confessi, et Sacra Synaxi refecti Ecclesiam vel publicum Oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devote oraverint juxta mentem ipsius Sanctitatis suae. Contrariis non obstantibus quibuscunque. Die 22. Aprilis 1875.

(L. S.) C. Episcopus Ostien. et Velitern. Card. Patrizi, S. R. C. Praefectus.

Plac. Ralli, S. R. C. Secretarius.

d. Actus Consecrationis

(in authentico exemplari ital.).

O Gesù mio Redentore e mio Dio! non ostante il grande amore che portate agli uomini, per redimere i quali avete sparso tutto il Vostro Sangue prezioso, siete pure da Essi così poco riamato, anzi tanto offeso ed oltraggiato, segnatamente con le bestemmie e con la profanazione dei giorni festivi! Deh! potessi io dare al Vostro Cuore una qualche soddisfazione; potessi riparare tanta ingratitudine e sconoscenza che riportate dalla maggior parte degli uomini stessi! Vorrei poter dimostrarvi quanto io desidero riamare ed ono-

1) Vide supra pag. 382.

Digitized by Google

rare questo adorabile e amorosissimo Cuore al cospetto di tutti gli nomini, ed accrescerne vieppiù la vostra gloria. Vorrei poterne ottenere la conversione dei peccatori, e scuotere l'indifferenza di tanti altri i quali, sebbene abbiano la sorte di appartenere alla Vostra Chiesa, non hanno però a cuore gli interessi della Vostra gloria e della stessa Chiesa che è Vostra sposa! Vorrei altresì poterne ottenere che quei cattolici ancora, i quali non lasciano di dimostrarsi tali con molte opere esterne di carità, troppo tenaci delle loro opinioni, ricusano di sottomettersi alle decisioni della Santa Sede, o nutrono sentimenti, che dissentono dal suo magistero, si ravveggano, persuadendosi che chi non ascolta in tutto la Chiesa, non ascolta Iddio che è con Lei. Ad ottenere pertanto questi santissimi fini, ed inoltre impetrare il trionfo e la stabile pace di questa Immacolata Vostra Sposa, il benessere e la prosperità del Vostro Vicario qui in terra e le sante di Lui intenzioni vedere adempiute, ed insieme perchè tutto il Clero vieppiù si santifichi e a Voi torni accettevole, e per tanti altri fini ancora che Voi, o mio Gesù, intendete conformi al Vostro Divin volere, e che in qualunque modo giovino alla conversione dei peccatori ed alla santificazione dei giusti, affinchè tutti ne otteniamo un giorno l'eterna salvezza delle anime nostre, e finalmente perchè so, o mio Gesù, di fare cosa grata al Vostro Cuore dolcissimo: prostrato ai Vostri piedi, alla presenza di Maria SSma e di tutta la Corte celeste, solennemente riconosco per ogni titolo di giustizia e di gratitudine di appartenere totalmente ed unicamente a Voi, Redentor mio Gesù Cristo, fonte unico di ogni mio bene, nello spirito e nel corpo, ed unendomi alla intenzione del Sommo Pontefice, consacro me stesso e tutte le cose mie, a questo Sacratissimo Cuore, cui solo intendo amare e servire con tutta l'anima mia, con tutto il

Digitized by Google

mio cuore, con tutte le mie forze, facendo mia la Vostra volontà, e unendo ai Vostri tutti i miei desiderii.

A pubblico segno infine di questa mia consecrazione, solennemente dichiaro a Voi stesso, o mio Dio, di volere in avvenire ad onore del medesimo Sacro Cuore, osservare secondo le regole della Santa Chiesa le feste di precetto e procurarne l'osservanza nelle persone sulle quali io abbia influenza ed autorità.

Riunendo dunque tutti questi santi desiderii e propositi nel Vostro bel Cuore, quali la Vostra grazia mi ispira, confido di poter dare ad Esso un compenso delle tante ingiurie che riceve dagli ingrati figli degli uomini, e trovare per l'anima mia, e per le anime di tutti i miei prossimi la mia e la comune felicità in questa vita e nell'altra. E così sia.

Praesens exemplar concordat cum originali existente in Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis. In quorum fidem etc. Ex eadem Secretaria hac die 26. Aprilis 1875.

Pro R. P. D. Placido Ralli Secretar. Josephus Ciccolini Substitutus.

e. Ex literis Patris Ramière, quibus — de mandato Summi Pontificis ad omnes Episcopos ex Urbe dimissis — praedictum S. Rit. Cong. Decretum indicitur d. 25. Aprilis ejusdem an. 1875.

Sperare licet fore, ut amantissimum Cor Jesu nullam nobis neget gratiam, si nihil desit gloriae quam in hoc solemni suae revelationis anniversario a nobis expectat; si, in unione cum Christi Vicario, et singuli fideles suas familias, et Parochi superioresque communitatum suos subditos, et Episcopi suas dioeceses cum toto eo fervore et tota ea solemnitate, quae in eorum potestate erit, offerant. Quum enim Christi Vicarius omnes suos filios hortetur, ut se Cordi Jesu in unione suae intentionis consecrent, imo huius consecrationis verba in eorum ore ponat, non iam a particularibus

Digitized by Google

ecclesiis, uti hucusque factum est, sed ab universa Christi familia hoc obsequium Sanctissimo Cordi exhibebitur, et ab ipso coelestium gratiarum abundantiam procul dubio eliciet.

2. Ex Actis Conciliorum provincialium.

Concil. prov. Avenion. a. 1849. Nullus potest esse Christo jucundior, Ecclesiae utilior, gratiis et divitiis spiritualibus in homines diffundendis foecundior cultus a pietate Christiana erga illum SS. Redemptorem et Salvatorem nostrum exercendus, quam qui Sanctissimo ejus Cordi exhibetur. Augustissimum enim illud Cor, pars corporis a Verbo Divino assumpti, adeoque Christi, est vere, vi unionis et unitatis hypostaticae, Cor ipsius personae Verbi Divini. Propterea misericordiae et caritatis infinitae, quam Christus in nos exercuit ac demonstravit et quae impulit eum, ut sanguinem funderet, mortemque pro salute nostra subiret, atque nobis corpus in cibum et sanguinem in potum in Eucharistia relinqueret, est symbolum et organum. Ex Corde illo, lancea in cruce perforato, nata est Ecclesia, profluxere sacramenta, eximus et nos omnes, qui ex aqua et sanguine inde scaturientibus renati sumus per baptismum, et facti sumus de carne et corpore Christi. In hoc Corde jugis est thesaurus misericordiae, fons perennis gratiae et plenitudo bonorum omnium in nos effundendorum, luminis quo debemus illustrari, virium quibus possimus ad Deum et ad salutem progredi, hostes omnes vincere, pericula superare, mundum ac diabolum conculcare et omnibus impugnationibus superiores effici.

Hortamur ergo parochos, ut fideles, quae ad cultum hunc attinent, doceant, et ad eum exercendum inducant memoratis etiam beneficiis singularibus, quae tot in locis, speciatimque in hisce nostris regionibus tempore pestis Massi-

Digitized by Google

liensis a Sacratissimo ac beneficentissimo Corde illo perceperunt homines et populi, qui pie ac sancte illud coluerunt et ad ipsum in calamitatibus privatis ac publicis confugerunt.

Patres autem hic congregati, finem imponentes Synodo, labores suos, monita et decreta Sacratissimo Cordi dedicant, ut fructum afferant plurimum et fructus maneat: seipsos etiam et sacerdotes qui isti Synodo interfuerunt, et omnem clerum, et fideles cunctos Dioeceseon suarum eidem amantissimo Cordi devovent et consecrant, ut inhabitantes in adjutorio Altissimi, in protectione Dei coeli contra omnia adversa et pericula securi commorentur. *(Coll. Lacen. p. 364.)*

Concil. prov. Albien. a. 1850. Haec nobis in Synodum Provincialem convenientibus primaria necessitas incumbit, commissas oves, luctuosis istis temporibus tam ingenti numero dispersas et in partes varias aberrantes, ad supremum animarum Pastorem reducendi, earumque saluti omnibus viis providendi: fide vero edocti, minime in nostra potestate positum hanc salutem operari, sed illam ab eo solo qui salvare potest nobis sperandam et impetrandam esse, inter hujus Concilii Decreta . . . locum obtinere voluimus

Decretum

De consecranda provincia Sacratissimo Cordi Jesu Christi D. N., et Cordi purissimo Beatae Mariae Virginis.

Ut in omnibus fidelibus, si fieri possit, excitetur et augeatur caritas quae multorum in cordibus languescit ac pene exstinguitur, totam provinciam Albiensem solemniter consecrandam et devovendam esse statuimus, jamque per praesens Decretum consecramus et devovemus Sacratissimo Cordi Jesu Christi Domini nostri, ex quo omnia in homines dimanant gratiarum fluenta, et cujus cultum ad ipsa etiam

Digitized by Google

obduratorum corda divini amoris igne succendenda potissimum esse novimus.

Quo vero nobis facilior accessus pateat ad Cor illud Sacratissimum, tot tamque inauditis peccatorum reatibus sauciatum, ipsum mediante Deipara Virgine adeamus: qua auspice et patrona nulla nobis est metuenda repulsa. Quapropter eandem provinciam integram pariter devovendam esse decernimus et devovemus purissimo Cordi Beatae Virginis Mariae, cujus etiam cultum et amorem, simul ac Cordis dilecti Filii sui fovendum suscipimus, et ab omnibus, qui pastoralis nostrae sollicitudinis sunt participes, fovendum omnimodo et augendum commendamus ac praecipimus. *(Collect. Lacen. p. 405.)*

Concil. prov. Lugdunen. a. 1850. Quum provincia Lugdunensis, per Irenaeum et Polycarpum, fidem acceperit ab Apostolo, quem diligebat Jesus, quique supra ipsius pectus requieverat, Sacratissimo Cordi Jesu singularem cultum addixit et profitetur.

Ut autem praesens Concilium sit et huicce praestantissimo cultui in monumentum, et ad hanc eximiam devotionem augendam veluti perpetuum incitamentum, Episcopi, antequam a coetu discedant, communi pietatis affectu gregem sibi commissum totamque ecclesiasticam provinciam Lugdunensem amantissimo Cordi Jesu solemniter vovent ac consecrant.

Quum hoc votum in quarta et ultima sessione enuntiatum et a Patribus approbatum fuisset, statim Eminentissimus (Cardinal. de Bonald) Archiepiscopus Lugdunensis, genua flexit ad altare, omnibusque pariter prostratis et mente ad ejus orationem consociatis, provinciam Lugdunensem Sacratissimo Cordi Jesu his verbis consecravit:

Domine Jesu, aeterne animarum pastor, qui in Sacra-

Digitized by Google

tissimo Corde tuo omnia divinae caritatis mysteria nobis revelasti, confirma nunc quod operatus es in nobis, ut quaecunque, te inspirante, proposuimus, te adjuvante fideliter custodiamus.

Sed quoniam indignitatis nostrae conscii sumus, amantissimo Cordi tuo infirmitatem nostram commendamus, nosque et universum clerum nostrum consecramus, ut, Irenaei ac Polycarpi discipuli, ex hoc fonte caritatem pastoralem hauriamus, quam Joanni supra pectus tuum requiescenti infundebas.

Amantissimo Cordi tuo consecramus Lugdunensis provinciae populum, ut, in eucharistici convivii frequentatione, hanc concipiat fidei firmitatem, quam Lugdunensibus Martyribus tribuisti.

Amantissimo Cordi tuo consecramus terram hanc, in qua, ab apostolicis temporibus, nomen tuum invocatum est, et in qua, divini Cordis tui cultum promovendo, inaestimabilium divitiarum thesaurum Ecclesiae tuae aperuisti.

Et hoc Concilium quod in honorem tui nominis celebravimus, sit in Ecclesia Lugdunensi perpetuum nostrae erga Cor tuum devotionis ac pietatis monumentum. *(Coll. Lacen. pp. 490 et 507.)*

Concil. prov. Burdigalen a. 1850. Ut digno salutarique termino Concilium nostrum concludatur, unanimes decreverunt Patres totam hanc Provinciam Burdigalensem Sacratissimo Cordi Domini nostri Jesu Christi consecrandam.

Hac solemni perpetuaque consecratione intendimus dignas Deo clementissimo gratiarum actiones deferre, propter supereminentem ejus caritatem, immensaque beneficia in nos collata. Volumus etiam, quantum in nobis est, reparare et expiare omnes impietates, sacrilegia, caeteraque omnia facinora contra Deum unquam commissa. Optamus ignem di-

Digitized by Google

divini amoris in cordibus nostris omniumque fidelium accendere, flagella omnia, quae nobis nostrisque regionibus imminere possent, avertere, nosque tandem in vinculis Christi omnes conjungere.

Et ideo, unius ore, ex intimis visceribus, sequentem consecrationem adoptamus et profitemur:

Consecratio totius Provinciae Burdigalensis Sacratissimo Cordi D. N. J. C.

O Cor amantissimum Domini Jesu! caritas tua urget, ut ardeamus divini tui amoris igne, quem venisti mittere in terram, nihil ardentius exoptans nisi ut accendatur. O bone Jesu, qui dixisti: Et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum, trahe nos post te, ut curramus in odorem unguentorum tuorum. Cor divinum, Cor sanctissimum, unge nos. Dilatatum est cor nostrum; suscipe nos et totam provinciam hanc Burdigalensem, se tibi devoventem hodie, ac solemniter per os suorum Episcoporum se tibi consecrantem. Tui sunt pastores; tuae sunt oves: nunquam a te separari volumus. Cor amandum, Cor amabile, ne projicias a te animas nostras, quae te solum sitiunt vehementer, fontem aquae vivae salientis in vitam aeternam. Amen! *(C. Lac. p. 608.)*

Concil. prov. Bituricen. a. 1850. Quo certius in hanc provinciam coelestem misericordiam vocaremus, dedicavimus illam Sacratissimo Cordi Jesu, enixe precantes, ut ex hoc copiosissimo thesauro omnia suae caritatis dona effunderet, tanquam flumen, quo arida haec terra foecundaretur et fructus pacis afferret. Concurramus in illud Sacratissimum Cor, tanquam in tutissimum perfugium contra hos iniquitatis fluctus, qui perniciem rebus humanis minantur; hauriamus ex

Digitized by Google

illo vitali fonte aquas salutares, quae maculas omnes eluant, omnes languores sanent, omnibus vulneribus medeantur, omnia denique vitae, virtutis, felicitatis semina foveant atque augeant. *(Lit. synod.)*

Peracta concione, omnibusque genu flectentibus, Em. Cardinalis provinciam totam Sacratissimo Jesu, et immaculato Beatissimae Virginis Mariae Cordi ea oratione devovit:

„O Cor amantissimi Jesu, in quo sunt omnes thesauri bonitatis et misericordiae divinae, Cor dulce, Cor amabile, ex quo prodiit et efformata est sancta quae nos peperit Ecclesia, humilis Congregationis nostrae suscipe novissima vota. In nomine tuo convenimus et sub influxu gratiae tuae operati sumus, consiliis nostris et propositis regnum aeterni Patris tui in dies promoturi. Spiritus tuus requievit super nos quos et sui roris intima aspersione foecundavit. Perennes sint tibi gratiae, quod non despexeris deprecationem nostram. Nunc autem, o benignissimum Cor Jesu, ad quid leges istae quas condidimus, et consilia quae comparavimus, nisi interna lex tui amoris flectat corda subditorum et acceptam faciat ordinationem nostram? Tu es ille cordium dominator et custos, qui aperis et nemo claudit, claudis et nemo aperit. Accipe corda nostra et occupa plebem nobis commissam, ut quod infirmitas nostra non valuit, id efficiat unctio omnipotentis caritatis tuae. Te unicum regem volumus, te ducem, te pastorem omnium ovium nobis concreditarum. Episcopatum nostrum in te refundimus. Accipe has amplissimas Dioeceses, quibus sponsa tua et mater nostra Ecclesia humilitatem nostram praeposuit, has civitates, regiones has, totam hanc provinciam Bituricensem, quae nobis obtigit. Hanc tibi penitus dicatam intendimus et unanimini voto solemniter consecramus.

Effunde super nos famulos tuos divitias misericordiae

Digitized by Google

tuae, ut Ecclesiae Sanctorum digne praeesse valeamus, et paternae caritatis in filios viscera induamus. Unum simus, o mitissime Jesu, sicut pater tuus et tu unum estis; unum etiam nobiscum sint fideles Cooperatores nostri in regimine animarum, universus Clerus ille quem benignitas tua nobis comparavit et inexhausta sanctitas perficiet. Extende ad totum populum fidelem effusionem tuae gratiae. O amantissimum Cor Jesu, serva illum ab ingruentibus malis; serva a perfidissima errorum pernicie, ab impurissima vitiorum colluvie. Arce a lateribus ejus inimicum hominem; arce impietatis contagium, indifferentiae lethale frigus. Esto nobis omnibus refugium et virtus, et in altitudine Sacratissimi vulneris tui reconditi, simus ab omni periculo liberi, ab omni labe immunes, accendamur mundo tui amoris igne, et ita te redamemus, ut frustra nos amasse non doleas, salvasse in aeternum exsultes.

Adsis etiam, o Cor immaculatum Beatissimae Matris; tibi quoque dicatam volumus provinciam Bituricensem; in hanc dominare, huic faveas, ad perfectum Divini Filii tui cultum hanc perducas. Amen.“ *(Coll. Lac. p. 115.)*

Concil. prov. Aquen. a. 1850. Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, ut ostenderet abundantes gratiae suae divitias, Cor dilectissimi filii sui salvatoris nostri Jesu Christi in nos peramanter inclinavit, ex quo immensae caritatis fluenta in sitientes animas nostras dimanarent.

Cor igitur illud, in quo sibi Pater bene complacuit, Cor Angelorum delicias et tamen in terris attritum propter scelera nostra, laudamus, benedicimus, adoramus, et omni gloria et honore dignissimum proclamamus.

Cor vero nostri sic amantissimum et in nos tum in cruce, tum in sancta Eucharistia tam abunde profusum omni

Digitized by Google

amore redamantes, necnon, pro tot et tantis injuriis quibus lacessitur, satisfacere cupientes:

Nos Petrus-Maria-Josephus Darcimoles, Archiepiscopus Aquensis, Arelatensis et Ebredunensis, de consilio et assensu illustrissimorum ac R. R. D. D. in Christo fratrum et comprovincialium nostrorum Episcoporum, Caroli-Josephi-Eugenii de Mazenod, Massiliensis, Xaverii-Tussani-Raphaelis Casanelli de Istria, Adjacensis, Joannis-Irenaei Depery, Vapincensis, Casimiri-Alexi-Josephi Wicart, Forojuliensis, Ludovici-Antonii-Augustini Pavy, Algeriensis, Mariae-Juliani Meirieu, Diniensis,

Huic Sacratissimo Cordi nos ipsos dioeceseonque nostrarum clerum atque fideles dicamus, devovemus et in perpetuum consecramus; humiliter exorantes ut nos et nostra contra adversa omnia tueri dignetur, ut dubios confirmet, debiles reficiat, devios ad se reducat, dolentes consoletur; morientes abscondat in se et regni coelestis efficiat participes in aeternum.

Quum vero ad Cor Jesu non tutior pateat aditus quam Cor Mariae immaculatum, per matrem ad Filium confugimus, ut meritis sanctissimi Cordis Genitricis Dei, quae et mater nostra est, in intima Cordis Filii penetralia feliciter perducamur.

Ideoque nos omnes totamque provinciam beatissimo Cordi Mariae affectu filiali etiam in perpetuum consecramus. *(Coll. Lac. p. 1008.)*

Ex Concil. prov. Auscitan. a. 1851. Mirabilium erga nos beneficiorum Domini nostri Jesu Christi memores, *adeamus*, adhortante Apostolo, *cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.* Amantissimus enim Redemptor

Digitized by Google

et Salvator noster ineffabiles Cordis sui divitias nobis aperire dignatus est. De plenitudine ejus nos omnes indesinenter accipere juvat, qui est jugis thesaurus sapientiae et scientiae, fons perennis gratiae et origo bonorum omnium nunquam deficiens. Ex illo divino Corde, in cruce lancea perforato, nata est Ecclesia, manarunt Sacramenta, exivimus et nos omnes qui ex aqua et sanguine inde profluentibus renati sumus per Baptismum. Quid retribuemus pro omnibus et tantis quae retributa sunt nobis? Aequissimum est, singulari ac solemni quadam significatione amorem verum rependere, gratosque et memores testari animos erga Sacratissimum Cor Jesu, pro divino et ardentissimo amore quo nos, etsi saepius ingratos, prosequi nunquam destitit.

Quapropter Patres hic congregati, finem facientes Synodo provinciae Auscitanae, labores suos, monita et decreta Sacratissimo Cordi Jesu dedicant, ut fructum plurimum afferant et fructus maneat; seipsos etiam et sacerdotes qui isti Synodo interfuerunt, et omnem clerum et fideles omnes Dioeceseon suarum eidem amantissimo Cordi devovent et consecrant, ejusque tutelae commendant, ut inhabitantes *in adjutorio Altissimi*, *in protectione Dei coeli* contra omnia adversa et pericula securi commorentur et illaesi pertranseant usque ad domum Dei.

Post hujus Decreti proclamationem, omnibus genuflexis, Illmus et Rmus. Metropolitanus, tam suo quam Coepiscoporum suorum et totius provinciae nomine, in gradu altaris genuflexus, sequentem legit consecrationem:

Consecratio Sacratissimo Cordi D. N. J. Chr.

O Cor amantissimum Domini Jesu, Pastoris boni, summi aeternique Pontificis; in quo omnes aeternae caritatis thesauri nobis revelati sunt; en coram te humiliter simul ac confiden-

Digitized by Google

ter adsumus, vehementi accensi desiderio tuam majorem procurandi gloriam, omnesque tibi illatas reparandi injurias. Idcirco nos nostraque omnia, Dioeceses nostras, universum clerum cum omni populo sollicitudini nostrae commisso, Tibi offerimus, dedicamus et consecramus, ut ex illo gratiarum fonte omnes indesinenter hauriamus, gustantes et videntes omnibus diebus vitae nostrae, quoniam suavis est Dominus, praesertim iis qui ad se pertineant.

Serva, enixe tuam precamur misericordiam, serva incolumes et in dilectione tua perseverantes quos ad gregis tui custodiam destinasti; salvum fac populum tuum, tibi specialiter consecratum, et benedic haereditati tuae. Confirma per gratiam tuam quod operatus es in nobis, ut hoc Concilium, quod te inspirante celebravimus, ad omnipotentis Dei gloriam, Ecclesiae decus animarumque salutem proficiat et in perpetuum nostrae erga Cor dulcissimum tuum devotionis et amoris indefessi monumentum exsistat. Amen. *(Coll. L. p. 1220.)*

Decreta Concilii prov. Senonensis a. 1850. De Sacratissimo Cordi Jesu totius provinciae Senonensis consecratione.

Dominus noster Jesus Christus, *quum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos*, et usque ad consummationem saeculi perpetua et ineffabili caritate diligit, ut omnes qui laborant et onerati sunt, pane coelesti, corpore scilicet suo et sanguine refectos sublevet, et ad immarcescibilem coronam invictos perducat. *Memoriam* igitur *fecit mirabilium suorum*, convescendo socius, moriendo victima et pretium. Hoc in cruce, hoc in altari, hoc in Eucharistiae sacramento Christus operatur. Hunc aperuit, dum caput reponens exspiraret, inexhaustum ex Corde suo amoris fon-

Digitized by Google

tem, nec nos licet infensissimos, unquam abjecit. Verum tot et tantis benignissimi Salvatoris beneficiis, ingrati et immemores, indifferentiam, impietatem, irrisiones rependimus. Quaesivit enim Dominus Jesus *qui simul contristaretur, et non fuit*, qui afflictissimum Cor et amantissimum *consolaretur, et non invenit.* Nos igitur, Episcopi regionis istius Senonensis, fide olim et pietate percelebris, et quae prima erga Cor Jesu devotionis signa exhibuit, Nos, inquam, deploranda nimis illa, adversus divinum in augustissimo praesertim sacramento amorem, contradictione permoti, ut, quantum in nobis est, debitas Christo in hostiam perpetuam oblato expiationes offeramus, totam hanc provinciam nostram, incolas omnes, praecipueque juventutem, patriae spem et religionis, pias congregationes, parochias, clerum rectoresque animarum, Nosque tandem ipsos, sacratissimo Cordi Jesu, necnon Cordi Mariae immaculato, devovere et consecrare decrevimus, atque hoc nostro solemni decreto devovemus et in perpetuum consecramus: mandantes omnibus et singulis curam animarum habentibus, ut, die ab Ordinario praefigendo, coram sanctissimo sacramento ad genua provoluti, Sacratissimo Cordi Jesu ipsi se et omnes suos in perpetuum consecratos pronuntient; quo ad digniores Christiano nomine sensus, et ad veram fidem pietatemque revocati Dioeceseon nostrarum filii factorum poenitentes, pio gratoque animo erga benignissimum Salvatorem, debitas laudes, debita caritatis fraternae officia quae *operit multitudinem peccatorum*, persolvere non desistant, et sic ad montem, qui Christus est, ad inexhaustum gratiae et gloriae fontem pervenire mereamur.

Ad extremum, spem nostram omnem in ***Patre misericordiarum et Deo totius consolationis*** collocantes, non discedendum e Concilio esse duximus, nisi prius laboribus

Digitized by Google

nostris Domini nostri Jesu Christi omnipotens exoraremus praesidium; quo auctore ac duce illos, uti coepimus, ita absolvimus; cujus etiam in manu est eorundem prosper eventus. Invocavimus igitur sanctissimum Cor Jesu, illud in angustiis solatium, in rebus adversis perfugium, in laboribus levamentum. Cui divino Cordi nos et nostras dioeceses, nostras vestrasque animas, omnes totius provinciae familias, imprimis vero juventutem, semper nobis longe commendatissimam carissimamque, nos Episcopi vestri, devovemus et consecramus. Maria vero, cujus immaculatum Cor simillima est Cordis Jesu imago; Maria, quam in sanctis congressibus nostris precari solebamus; cujus Conceptionem purissimam omnisque labis immunem firma persuasione pronuntiavimus, supplicantes, ut ea tanquam catholicae Ecclesiae doctrina a Sancta Sede Apostolica definiretur (cui quidem vota haec acceptissima fuerunt); Maria, quam ut fidenter invocetis, ardenter diligatis, generose imitari studeatis, hortamur: ipsa dioecesium nostrarum tutrix et potentissima omnium nostrum patrona erit apud Jesum Chr. D. N., cui gloria in saecula saeculorum. *(Lit. synod. Coll. Lac. pp. 910, 935, 954.)*

Conc. prov. Tolosan. a. 1850. Placuit deinde Concilii Patribus cunctam provinciam Tolosanam Sacratissimo Cordi Jesu solemniter devovere. Innuit itaque Secretarius ut omne flecteretur genu, et ipse RR. Archiepiscopus Coadjutor hanc alta voce consecrationis formulam legit:

Domine Jesu Christe, qui superabundantes misericordiae tuae divitias in Ecclesiam sponsam tuam propitius semper effundis, respice benignus super nos, et adjuva nos, ut quae te inspirante decrevimus, te auxiliante costodiamus.

Sed quia nostrae non inscii sumus infirmitatis, et Cor tuum Sacratissimum donorum fidelibus est fons indeficiens,

Digitized by Google

huic amantissimo Cordi tuo, Nos et clerum nostrum una simul iterum devovemus, ut spiritu sacerdotali in suo fonte potati, libentissime impendamur et superimpendamur ipsi pro animabus sanguine tuo redemptis.

Amantissimo Cordi tuo dicamus denuo et consecramus populum nobis commissum, ut tibi devotus fide, justitia, caritate, omnibus pietatis operibus dives abundet.

Cor Jesu amantissimum, illumina mentes nostras, infunde amorem cordibus nostris, trahe nos in funiculis Adam, in vinculis caritatis, ut simus unum, sicut Pater et Verbum et Spiritus unum sunt, et simus consummati in unum. *(Coll. Lac. p. 1082.)*

Concil. prov. Quebecen. a. 1873. Decretum IV.

De Sacratissimo Cordi Jesu totius provinciae Quebecensis Consecratione.

In caritate perpetua dilexit nos Christus, ideo attraxit nos miserans (Jerem. 31, 3). *Et nos cognovimus et credidimus caritati, quam Deus habet in nobis. Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo* (I. Joan. 4, 16). Cujus quidem aeternae et nimiae caritatis fons et origo existit in Sacratissimo illo Corde, quod in cruce lancea apertum est „*quatenus*, ut ait s. Bonaventura, *sanguine cum aqua manante, pretium effunderetur nostrae salutis, quod a fonte scilicet Cordis arcano profusum, vim daret Sacramentis Ecclesiae ad vitam gratiae conferendam, essetque jam in Christo viventibus poculum fontis vivi salientis in vitam aeternam.*“

O Cor Sacratissimum et amantissimum! Trahe nos ad te, ut te redamemus toto corde, tota anima, totis viribus! Per te nobis pateat via *ad thronum gratiae, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio oppor-*

Digitized by Google

tuno (Hebr. 4, 16). *In caritate perpetua dilexisti nos;* in praesepio, in vita, in ultima coena, in cruce immensa caritas urgebat te: nunc ad Patrem reversus *semper vivis ad interpellandum* pro ovibus, quos *pretioso sanguine redemisti.* Miserere nostri; ne respicias peccata nostra, sed fidem Ecclesiae tuae, eamque secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris. Te ergo quaesumus, ne derelinquas nos in augustiis et perturbationibus nostris; miserere famulo tuo Pontifici nostro: conserva eum, vivifica, beatum fac et non tradas in animam inimicorum ejus. Nos et oves nobis creditas, totam hanc Quebecensem provinciam tibi devovere et consecrare decrevimus, atque hoc nostro solemni decreto nunc devovemus ac in perpetuum consecramus, ut sis omnibus salus, vita et resurrectio; per te justi justificentur adhuc et in finem perseverent; peccatores convertantur; tepidi exardescant; mala omnia fugiant; bona cuncta concedantur. Sit fides viva, spes firma, caritas perfecta in hoc mundo, ut cursu consummato immarcescibilem gloriae coronam percipiamus cum sanctis tuis!

Mandamus omnibus et singulis animarum curam habentibus, ut die ab Ordinario praefigenda, coram Sanctissimo Sacramento ad genua provoluti, Sacratissimo Cordi Jesu ipsi se et omnes suos in perpetuum consecratos pronuntient. —

Alia vide supra pp. 206 seqq. et p. 552.

Acclamationes synodales.

Sacratissimo Cordi Jesu, omnium gratiarum fonti, ex quo immensae caritatis dona profluunt, amor semper crescens et ubique diffusus.

℟. Sit in gaudium et in laudem et in exultationem cunctis gentibus terrae, et adorent nomen ejus! *(Conc. prov. Lugdunen. an. 1850.)*

Digitized by Google

Sacratissimo et amantissimo Cordi Jesu, vulnerato propter iniquitates nostras, attrito propter scelera nostra, fonti amoris et gratiarum inexhausto; laudemus et redamemus illud in saecula.

℟. Hauriant omnes sitientes aquas de fontibus Salvatoris, et dicant: notas fecit Dominus adinventiones suas; cantemus Domino, quoniam magnifice fecit; laudemus et superexaltemus in eo! *(Conc. prov. Aquen. a. 1850.)*

Jesu, Dei filio, hominum Salvatori, ejus Cordi amantissimo, omnium gratiarum fonti inexhausto, obsequium, adoratio et amor in toto orbe terrarum.

℟. Accipiat Christus gentes haereditatem suam; dominetur a mari usque ad mare, hauriant omnes aquas de fontibus Salvatoris. Ament et redament eum in perpetuum! *(Conc. provinc. Auscitan. a. 1851.)*

Sacratissimo Cordi Salvatoris nostri Dei, ad omnes patenti ut super omnes effundat immensae caritatis suae inaestimabiles divitias, et cui ultro se vovet et consecrat tota cum hac Synodo provincia, * sit cordium nostrorum pie redamantium devotio plena et arcta conjunctio.

℟. Sit cordium nostrorum pie redamantium devotio plena et arcta conjunctio.

3. Ex epistolis pastoralibus.

Ex literis communibus omnium Praesulum Provinciae Ecclesiasticae Cincinnatensis citatis supra p. 209.

Actus Consecrationis ad SS. Cor Jesu.

En tibi, o Cor Jesu Sacratissimum, vitam nostram, tibi cogitationes, verba, opera et dolores nostros offerimus et consecramus! O utinam nec minima substantiae nostrae pars aliter a nobis quam in tui amore, servitio, cultu et glorificatione impendatur! Tu ergo, o SS. Cor, sis unicum objec-

Digitized by Google

tum amoris nostri, tu protector vitae nostrae, tu salutis nostrae pignus, et in hora mortis nostrae, tutissimum refugium. Tu sis, o Cor liberalissimum, justificatio nostra coram throno Dei, tu nos ab ira ejus protege, quam eheu nimis promeriti sumus. In te omnem fiduciam nostram reponimus, atque conscii, uti sumus, nostrae infirmitatis, in tua clementia unice confidimus. Quidquid tibi displicet et te offendit in nobis destrue. Pone te ut divinum signaculum super cor nostrum, ut usque memores obligationis nostrae, numquam te derelinquamus aut elongemur a te. Nomina quoque nostra, te deprecamur, Domine, secundum magnitudinem clementiae tuae in libro vitae inscribantur, et praestes, ut qui gloriae tuae amplificandae consecrati sumus, tibi quoque in perpetuum olocaustum vivamus, et semper purissimi tui amoris igne succensi tibi in aeternum ardeamus. In hoc omnem felicitatem nostram reponimus; hoc est unicum desiderium nostrum, ut in nullo alio quam tuorum devotorum statu et conditione vivamus atque moriamur. Amen.

Consecratio dioecesis S. Pauli (Minnesota) ad SS. Cor Jesu praescripta literis pastoralibus memoratis supra p. 210.

Actus Consecrationis.

O Cor Jesu omni amore et adoratione dignissimum, Cor plenum misericordiae et caritatis, refugium nostrum in omnibus periculis, spes fida in omni probatione nostra, solatium et auxilium nostrum in omnibus tribulationibus, respice nos humillime coram te prostratos, ut tuam misericordiam imploremus et auxilium tuum impetremus, nosque totos tibi offeramus.

Tu nosti pericula quibus circumdamur, procellas quae circa nos furunt. Potestates tenebrarum adversus tuam

Digitized by Google

sanctam Ecclesiam insurrexerunt et adversus nos indignissimos quidem, sed addictissimos tibi famulos. Haereditatem tuam vastaverunt, altaria tua destruxerunt, et persequuntur illos qui diligunt et colunt nomen sanctum tuum. Et nunc, Domine, gloriantur de malitia sua quam perfecerunt, et superbiunt quasi jam te tuamque Ecclesiam devicerint, cultumque tuum a facie terrae deleverint. Verum omnipotens tu es, et quis resistet tibi? Tu exurges in potentia tua et inimici tui peribunt ante faciem tuam. Imperabis ventis et fluctibus, et fiet tranquillitas magna. Hac animati fiducia in tuam potentiam et amorem, o divinum Cor, orationes nostras tibi offerimus hoc die solemnis dedicationis nostrae. Dignare indignissimum sacrificium nostrum acceptare, et exaudi orationes nostras pro Ecclesia sancta tua, potissimum vero pro hac nostra Dioecesi, quae nunc solemniter obsequio tuo se totam dicat et consecrat. O Cor plenum misericordiae, semper apertum, ut nos in te ad sanctissimum tutissimumque refugium recipias, publice et solemniter hodie nos totos tibi dicamus in signum devotionis nostrae, et ut a te auxilium et praesidium illud impetremus, quo temporibus hisce iniquissimis pro Ecclesia, pro sancta Sede et pro nobis ipsis maxime indigemus: vitam nostram tibi consecramus et labores nostros, cogitationes nostras, verba nostra, actiones atque passiones omnes. Vovemus, nos semper et in perpetuum fidelissimos famulos tuos futuros et permansuros.

Cor Jesu dulcissimum et omni adoratione dignissimum suscipe hoc nostrum sacrificium; flammis tuae divinae caritatis illud incende, ut in odore suavitatis ad te ascendat una cum tuis meritis infinitis, et deducat super nos, super Sanctam Ecclesiam tuam, super Beatissimum Patrem nostrum Pium IX. tot tantisque tribulationibus afflictum, super hanc Dioecesim et civitatem, super patriam nostram et familias

Digitized by Google

nostras, super amicos et cives nostros plenitudinem benedictionis tuae, rorem coelestem gratiarum tuarum et copiosissimos illos thesauros, quos tu iis promisisti, qui te in veritate colunt. Circumda nos famulos tuos praesidio et auxilio tuo; custodi nos ab insidiis malorum, qui oderunt Ecclesiam tuam, quia tua est, et nos persequuntur, quia diligimus nomen sanctum tuum et gloriam tuam propugnamus. Concede, ut in te inveniamus refugium nostrum, solatium et spem nostram. Esto firmamentum nostrum in vita, fiducia nostra in morte, gaudium in coelis sempiternum. Amen.

Actus consecrationis ab aliis Episcopis propositus.

Dulcissime Jesu, qui excessu tui erga nos amoris Cor tuum aperiri voluisti, ut introitus nobis patescat, ad te in spiritu humilitatis et animo contrito accedimus, suppliciter orantes, ut in sacrarium Cordis tui divini nos admittere digneris. En Domine, ad te suspiramus, in te et pro te solo vivere desideramus. Ideo summo devotionis et pietatis affectu animas nostras et corpora nostra, plane nos totos tibi offerimus et consecramus, piissimam majestatem tuam obsecrantes, ut nos ab omni vitiorum labe purgatos in amantissimum Cor tuum suscipias, tibi perfecte unias, et a te numquam separari permittas. Confidimus misericordiae tuae et verbo, quod dixisti: eum, qui venit ad me, non ejiciam foras (Joan. 6. 37.). Suscipe ergo, Domine, suscipe et posside nos totos, teque nos dignos redde. Fac nos, quaesumus, a saeculi vanitatibus abhorrere, humilitate, mansuetudine, obedientia, castitate, caritate, aliisque sanctissimi Cordis tui virtutibus indui et affectibus inflammari, ut imagini bonitatis tuae conformes esse mereamur. Da nobis etiam, piissime Jesu, de thesauris sapfentiae et scientiae absconditis in Corde tuo, ut non circumferamur omni vento

Digitized by Google

doctrinae, sed stabiles simus et continuo crescamus in doctrina veritatis, potentes simul eos, qui contradicunt, arguere. Sit pariter Cor tuum nobis refugium in tribulationibus, protectio in tentationibus, consolatio in afflictionibus. Et concede propitius, ut in mitissimo Corde tuo vitam agamus tranquillam et ab omni perturbatione securam, et tandem corporis vinculis exutis vitam et gloriam consequamur aeternam.

Insuper ad te, beatissima Virgo Maria, mater Dei et mater nostra, filiali fiducia nos convertimus, atque purissimo Cordi tuo nos et omnia nostra pariter tradimus et devovemus, auxilium tuum humiliter implorantes, ut tecum jugem mansionem in sacratissimo Filii tui Corde habere mereamur, in quo magnificet anima nostra Dominum, et exultet spiritus noster in salutari suo, nunc et in perpetuum. Amen.

4. Inscriptiones in memoriam peractae consecrationis propositae.

Carmen memoriale Hibernum [1]).

Ut grave crimen reparare tentet
Impiae gentis, tumidae feraeque,
Quae Sacri Cordis temerare jura
Non trepidavit,

Insulae Sanctae populus fidelis
Integrum sese properat dicare
Cultui Cordis Domini Deique
Tempus in omne.

Sic pios natos genuere Patres
Saecla per septem lacrymosa sueti
Vincula, plagas, genus omne saevi
Temnere lethi.

1) The irish Monthly, March 1874, p. 185.

Digitized by Google

Servulos, o Cor tenerum! benigne
Ad tuum cultum jubeas sacrari,
Offerunt qui se stimulis amoris
Acriter acti.

Sint Patri summo parilique Proli,
Flamini et Sancto decus atque virtus,
Dum Sacro Cordi similes honores
Reddit Ierne. — Amen.

Inscriptio in Italia proposita [1]).

SACRATISSIMO. CORDI. JESU. D. N.
ERGA. HUMANUM. GENUS.
FLAGRANTISSIMO. AMORE. AESTUANTI.
IN. QUO. COELESTES. OPES. UNIVERSAE.
ET. CATHOLICAE. ECCLESIAE.
TOT. INTER. RERUM. DISCRIMINA. LABORANTI.
SPES. PERFUGIUM. ET. SALUS.
ECCLESIA. N. N.
AD. NOVAM. ERGA. IPSUM. FIDEI.
ET. PIETATIS. ANTIQUAE. SIGNIFICATIONEM.
SUPPLICATIONE. IN. TRIDUUM. INDICTA.
IPSO. FESTO. SAECULARI.
XVI. KAL. JULII. ANNI. MDCCCLXXV.
SE. SUAQUE. OMNIA.
SOLEMNIBUS. CAEREMONIIS.
DEDICAVIT.

B. Devotio integri mensis Junii.

Decretum S. Congregat. Indulgentiarum [2])

Urbis et Orbis.

Quum inter caetera religiosae pietatis officia ad reco-

1) Il Messaggere d. S. C. d. G., Settembre 1872, p. 160.
2) Acta Sanctae Sedis, vol. VII., p. 289.

Digitized by Google

lendam et meditandam uberiori fructu D. N. Jesu Christi caritatem, laudabilis exorta sit et multis in locis invaluerit consuetudo, qua integer mensis Junius quotidianis devotionis exercitiis dulcissimo Ejus Cordi consecratur; plurimorum Fidelium supplicationes porrectae sunt Sanctissimo Domino nostro Pio P. P. IX. ut pia haec exercitia peragentibus sacrarum Indulgentiarum munera concedere dignaretur.

Itaque Sanctitas Sua petitionibus hujusmodi benigne exceptis, ut magis magisque injuriae Divino humani generis Redemptori in praesenti potissimum rerum ac temporum discrimine illatae reparentur; universis utriusque sexus Christifidelibus, qui sive publice sive private peculiaribus precibus et devoti animi obsequiis in honorem SSmi. Cordis Jesu per integrum mensem Junii quotidie corde saltem contrito vacaverint, Indulgentiam septem annorum semel in singulis dicti mensis diebus lucrandam; et pariter iisdem Indulgentiam plenariam in una praefati mensis die ab unoquoque eligenda, in qua vere poenitentes, confessi ac sacra Communione refecti fuerint, et aliquam ecclesiam seu publicum oratorium visitaverint, et ibi per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suae pias ad Deum preces effuderint, peramanter est impertitus; cum facultate easdem Indulgentias applicandi pro animabus in Purgatorio detentis. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscunque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretario Congregationis Indulgentiarum et SS. Reliquiarum die 8. Maji 1873.

L. Card. Barili, Praefectus.

Dominicus Sarra, Substitutus.

Digitized by Google

C. Intentiones ad horas Breviarii vel Officii magni in honorem SS. Cordis Jesu.

	Cum	in honorem	in gratiarum actionem	in satisfactionem	in impetrationem
Ad Matutinum	Beatissima et S. Josepho	Cordis Deum Patrem et nos homines tenerrime amantis.	Hujus duplicis amoris et omnium ejus actuum.	Huic sanctissimo Cordi maxime olim devotarum animarum in purgatorio.	Augmenti devotionis publicae erga hoc sanctissimum Cor in aliis.
Ad Laudes	Sanctis Angelis	Cordis divino-humani mitis, humilis, fidelis, liberalis.	Omnium perfectionum hujus sanctissimi Cordis.	Frequentis erga hoc SS. Cor infidelitatis in violatis propositis.	Majoris amoris Dei et proximi in corde meo.
Ad Primam	B. Margarita Maria Alacoque	Cordis formati a Spiritu sancto, sumpti de carne Beatissimae.	Omnium honorum, quos SS. Cor hoc ab hominibus accepit.	Nimii timoris et respectus hominum.	Magnanimitatis solum Deum timentis.
Ad Tertiam	Familia et progenitoribus Christi	Cordis pleni dulcedine divinitatis et dolore humanitatis.	Hujus Cordis dolorum et gaudiorum.	Vulneris post mortem accepti.	Effluentis sanguinis et aquae super animam meam.

Digitized by Google

	Cum	in honorem	in gratiarum actionem	in satisfactionem	in impetrationem
Ad Sextam	Sancto Francisco Seraphico et S. Clara.	Cordis tot satiati opprobriis in passione et irreverentiis in SS. Sacramento.	Ejus Cordis in passione et SS. Sacramento habitae nobiscum patientiae.	Nostrae versus hoc Cor irreverentiae in SS. Sacramento.	Majoris devotionis ad SS. hoc Cor in sacramento Altaris, Missa et Communione.
Ad Nonam	Sancto Joanne Evangelista, S. Thoma.	Cordis vulnere, Cruce, Corona, et amoris flamma se ab omni corde distinguentis.	Revelatae hujus devotionis ad SS. Cor suum.	Multorum obliviosae ingratitudinis erga hoc Cor.	Majoris fiduciae in SS. Cor et ejus devotionem.
Ad Vesperas	Sancto Aloysio	Cordis optimi, sapientissimi, sacratissimi, nobis omnia sua merita transcribentis.	Extremae et dolorosissimae palpitationis in Cruce.	Peccati huic sanctissimo Cordi maxime exosi.	Majoris compassionis cum hoc SS. Corde maxime in oliveto.
Ad Completorium	Omnibus ei devotis adhuc viventibus	Adorantis Patrem, Adorabilis in se, Adorati ab omni creatura.	Dignitatis infinitae hujus Cordis ob divinitatem.	Meae tepiditatis in adorando hoc sancto Corde.	Majoris erga id devotionis in me.

Digitized by Google

D. Praxis novendialis Patris Borgo S. J.

Decretum Pontificium.

Beatissimo Padre. I divoti del Sacro Cuore di Gesù il dì 15 Marzo 1809 ottennero dalla S. V. ad septennium per una volta l'anno l'indulgenza di 300 giorni per ogni dì della Novena, e plenaria in un giorno della medesima, e fra l'ottava, a chiunque de' fedeli che confessato e communicato avesse fatto in onore del Santissimo Cuore di Gesù la tanto lodata Novena del P. Borgo per uso delle persone religiose e secolari. È già da un anno terminato il settennio senza che sieno state confermate l'indulgenze suddette con discapito de' fedeli vivi e defonti. Inoltre non essendo stato ben inteso il sopradescritto rescritto, si è annunciato al publico con varie ristampe, che l'indulgenza era in perpetuo, e che si poteva lucrare due volte l'anno, cioè nella Novena precedente la festa del S. Cuore, e un altra volta fra l'anno ad arbitrio. A riparo per tanto di tali difetti è umilmente pregata la S. V. dai divoti del S. Cuore di Gesù, a degnarsi benignamente accordare in perpetuo la sudd. indulgenza plenaria e parziale, tanto della Novena precedente la festa del Sacratissimo Cuore di Gesù, quanto in altra che se ne faccia fra l'anno.

Sanctissimus D. N. Pius PP. VII. supraenunciatas indulgentias tam in Novendiali festum Sanctissimi Cordis Jesu praecedenti, quam in alio infra annum uniuscujusque arbitrio peragendo, perpetuis futuris temporibus valituras pro omnibus utriusque sexus Christifidelibus, benigne confirmavit, et quatenus opus sit, de novo concessit absque ulla Brevis expeditione, cum facultate etiam supradictas indulgentias in suffragium fidelium defunctorum applicandi, servato in reliquis tenore primae concessionis. Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis indulgentiarum die 13. Januarii 1818.

Digitized by Google

E. Aliae praxes a P. Schauenburg propositae.

I. Ante oculos in cubiculo tuo expositam habe imaginem Sanctissimi Cordis Jesu. Quid autem huic Cordi facias, Joannes Landspergius ob insignem pietatem Justus cognominatus, ex Ordine Carthusianorum, doctrina et usu rerum spiritualium commendatissimus,[1]) nobis jam pridem declaravit in opusculo, quod „Pharetram divini amoris“ nuncupavit, ubi multa alia insignia de cultu Cordis Jesu habet. In ordine ad praesentem praxim ita loquitur: Figuram aliquam Dominici Cordis ponas in loco aliquo, per quem saepius transire debeas, qua saepius exercitii tui, et amoris in Deum excitandi admonearis. . . . . Posses etiam urgente devotione externam figuram hanc, id est, Cor Domini Jesu osculari et animo tuo persuadere, quasi verum deificum Cor Domini Jesu sub labiis habeas osculandum: in quod Cor tuum imprimere gestias, atque spiritum tuum immergere, absorberique desideres, videarisque tibi ex gratioso ipsius Corde attrahere in cor tuum spiritum ejus, gratiam quoque ejus, et virtutes, ac prorsus quidquid fuerit ibi salutare, quod mensuram excedit; his enim omnibus Cor Jesu exuberantissime scatet.

II. Ubicunque demum existas, assuesce amabilissimum Cor Jesu continuis precibus jaculatoriis quasi centrum cordis tui sagittare. Ita egit olim Angelicus Juvenis Aloysius, saeculi nostri vere Thaumaturgus, ut in celebri illo raptu Diva Magdalena de Pazzis testata est, dum altum exclamavit: „O quantum Aloysius amavit in terris! quapropter nunc Deum in coelo possidet in summa plenitudine amoris. Jaculabatur, dum adhuc erat mortalis, in Cor Verbi: nunc

1) Cfr. supra p. 354 et 373.

Digitized by Google

vero, dum est in coelo, sagittae illae in ipsiusmet requiescunt corde, quia communicationem illam, quam per actus amoris et conjunctionis cum Deo (qui erant sagittae ejus) merebatur, jam vere comprehendit et possidet.“ [1]) Ob has tam crebras sagittas in Cor Jesu evibratas non mirum, quod Aloysius, praesertim in Gallia, inter praecipuos Cordis Jesu amatores colatur; unde et in Germania nostra in aliquot Litaniis typis impressis inter alia elogia etiam titulus ardentissimi amatoris Cordis Jesu Aloysio attribuitur, qui non alio die ex his terris, ut bene advertit in praeclaro suo opere P. Joannes Croiset, ad Cor Jesu sui abiit, quam ineunte die Veneris post Octavam Corporis Christi, id est, ipsissimo die, qui modo in magna orbis parte sanctissimo Cordi Jesu festivissimus habetur [2]): ubi et illud, quod idem P. Croiset testatur, tacere nequeo, nempe per intercessionem magni hujus amatoris Cordis Jesu non paucos insignem amorem erga idem Cor obtinuisse. — Huc etiam pertinet testatissimum perque Europam vulgatissimum prodigium, quo S. Aloysius juvenem Nicolaum Coelestinum, Soc. Jesu tyronem, a medicis conclamatum, et prope moribundum, praesentia et diutino alloquio dignatus die 10. Februarii an. 1765, illico sanum fecit jussitque divino Christi Cordi se devovere hujusque religionem, utpote coelo gratissimam, propagare, prout ex processu authentico constat, quem de miraculo legitime instructum et peractum legimus auctoritate Illmi. et

1) Cfr. supra p. 372.

2) Id reformatae temporum rationi esse consentaneum, confecto calculo Paschali anni 1591 (quo S. Aloysius coelis insertus est) patet. In eum annum quippe hae notae chronologicae congruunt: Cyclus Solis 4; Lit. Dom. F.; Numerus aur. 15; Epacta 5; Pascha 14. Aprilis; Corpus Christi 13. Junii, et fer. VI. post. Octav. Corp. Ch. 21. Jun. Quorum omnium rationes petantur ex *Computo Ecclesiastico*.

Digitized by Google

Rmi. Dni. Dominici Jordani, AEppi. Nicomediae, Vicariatus almae Urbis Vicesgerentis [1]).

III. Quidquid petis a Deo, pete per Cor Jesu. Id jam pridem observarunt sanctae Sorores Mechtildis et Gertrudis, imo passim et alii Sancti. Venerabilis quoque Maria de Incarnatione, illa Galliarum Theresia, hanc ipsam praxim, dum semel, se a Deo aequis auribus non audiri, adverteret, divinitus edocta est, dum vocem a coelo delapsam audiit: „Pete a me per Cor Jesu Filii mei amantissimi; per illud exaudiam te, et impetrabis, quae poscis.“ [2]) Et vero, si Jesus promisit, quod petentibus in nomine suo Pater aeternus daturus sit omnia, quid idem Pater non dabit petentibus per et in Corde Jesu?

IV. Si quid arduum in studio virtutis tibi occurrit, si vincendus animi cordisque tui indomitus aliquis affectus, tunc te anima amore amabilissimi Cordis Jesu. Ita ad magnam perfectionem eluctatus est venerabilis P. Gabriel Lallemant, Gallus, S. J., qui quum adhuc Philosophiam doceret, in sacro recessu amore Cordis Jesu ita exarsit, ut eodem ad omnia ardua deinceps superanda se identidem hisce verbis animaret: „Age anima mea! pereamus sancte, et dulcissimo Cordi Jesu voluptatem, quam possumus, pariamus.“ A verbis his facta non aberant; nam fidei propagandae zelo accensus, ut fuse narrat Tannerus noster, in novam Franciam abiit, ubi a barbaris toto corpore tostus, et carne

1) Conferri ea de re praeter alios possunt: *Marquez*: Cultus SS. C. J. p. II. prop. 11. p. 2 (Venetiis, Zatta, 1781); *Termanini*: Vita di Niccolò Luigi Celestini (Roma, Monaldi, 1839); *Lanzi:* Inscriptionum l. I. c. 3 (Florentiae, Carli, 1807); Prodigiosa risanazione per intercessione di S. Luigi (Roma, Grossi, 1765), ubi de hoc facto graviter atque accurate tractatur.

2) Cfr. supra p. 400.

Digitized by Google

frustatim avulsa devoratus, insignem Martyrii palmam reportavit 17. Mart. 1649, cum maxima, ut indubium est, sanctissimi Cordis Jesu voluptate. Ad hanc quartam praxim pertinet, ad unam aut alteram horam cum consensu Confessarii votum in honorem Cordis Jesu emittere, hunc vel illum defectum deliberate non committendi, hunc vel illum actum virtutis exercendi etc. Talia vota, eaque difficillima in honorem Cordis Jesu quam plurima edidit Beata Margarita Alacoque.

V. In omnibus necessitatibus confuge ante omnia ad tui amantissimum Cor Jesu; nam „Ubi cunctorum", ait citatus Landspergius,[1]) „te mortalium corda deseruerint, ubi imposuerint tibi: securus esto, hoc fidelissimum Cor te non decipiet, nec derelinquet". Praesertim te totum confer ad hoc sacratissimum Cor in ariditatibus, aut obduratione quacunque cordis tui. Cor Jesu totum quantum natum et factum est, ut misereatur tui. Proderit etiam, si in tali casu durum, et obstinatum cor tuum mente applices Cordi Jesu, ut ad contactum illius carnei Cordis, quod amore nostri ut cera liquescit, cor tuum ferreum emolliatur. Certe si olim fidelibus multum profuit demortuo cordi S. Augustini Hipponensium antistitis corda ex ferro facta applicare, num minora speremus ex simili pietate erga Cor Jesu, id est, Cor ipsius Dei viventis? et numquid cum fide attacta vel fimbria vestimenti Jesu patravit miracula? quid cum eadem fide attactum faciet ipsum cor Jesu, praesertim post S. Communionem, ubi cordi nostro reipsa proximum est?

VI. Si ad petitiones tuas ipsum Cor Jesu aliquanto tardius et durius tibi videatur, tunc (si tamen jam aliquantulum familiarem magis esse liceat) hoc ipsum Cor exagge-

1) Supra p. 374.

Digitized by Google

ratis secundum longum, et latum, ut ita loquar, miseriis tuis mendicorum more flectere studeas, unaque apertius illud moneas, utique Cor Jesu non esse durum, sed esse merum Cor, Cor misericors. Ita emolliit Cor Jesu Maria Peros de Castello, ut refert Muratorius in exercitiis ad mentem Ven. Patris Segneri S. J. Identidem Virgo haec piissima (erat illa discipula S. Francisci Salesii) a Deo gratiam petebat susceptionis in Ordinem Religiosum. Jam vero saepe acciderat, ut, postquam hanc ipsam gratiam a Jesu suo in templo efflagitasset, inde exiens a mendicis pro eleemosyna interpellaretur. Hic illa studiose se diu multumque rogari passa est, ut exinde vehementius auditae pauperum, et prolixius exaggeratae miseriae cor suum commoverent. Id ubi fieri sensit, pleno corde, et ore se ad Jesum suum convertit, dicens: ecce mi Jesu! ego licet sim humano, id est, duro corde, ulterius tamen has miserias audire nequeo: misereor pauperum et do stipem. Et tu, o Jesu! qui totus es misericordia, totus cor ad miserendum, me tamdiu non audis? etc. Imitatione quoque dignum est, quod ven. P. Thomas de Jesu Ord. S. Augustini in Aerumnis Christi, Aerumna XIX., in hunc fere modum refert: Fuit, qui peccatis immersus, quum de iis ob duritiem cordis, ut ut vellet, dolere tamen jam non posset, prae moerore e domo exierat incertus, quo tenderet reperiendi alicujus solatii causa. Exeunti ad januam domus mendicus omnino miserabilis occurrit: hic recordatus, Jesum dixisse, sibi fieri, quod suis fit, iterum ingressus domum panem ei attulit, et flexis coram eo genibus, detectoque capite, cogitans, se esse coram ipso Jesu, haec in corde suo dixit: Jesu mi! ecce tu es in hoc paupere: si possem, darem etiam cor meum. Sed est tam durum, ut non possim dare, neque tu acceptares. Accipe interim hunc panem: de corde meo fac, quod vis. Vix haec effatus erat,

Digitized by Google

magna copia lacrymarum ex corde tenerrimo diffluxit, indeque magnis gratiis a Deo est donatus. Tantum prodest his artibus Cor Jesu aggredi.

VII. Nullum diem, saltem Veneris, omittas, quo non aliquid de Corde Jesu mediteris: huc servire poterunt, quae dicta sunt de objecto cultus SS. Cordis l. I. p. II. Saltem nunquam omittas illos tres actus elicere, de quibus mentionem fecimus p. 321, nimirum amorem Cordis Jesu appretiantem, amorem redamantem, amorem poenitentem. Si his addideris Officium, aut Corollam precatoriam Cordis Jesu, o quam gratam rem facies Cordi Jesu! multo magis adhuc illud tibi devincies, si in ejusdem honorem, vel ultimo cujuslibet mensis die Veneris sanctissima Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae obeas. Hunc certe morem cum insigni suo fructu integra sacra Asceteria observant: qui quidem Sacerdotibus quotidie Sacrum dicentibus, uti nequit esse molestus, ita plane familiaris et exoptatissimus esse deberet.

VIII. Cor Jesu re ipsa in templis nostris praesens, si per negotia liceat, quam frequentissime visites, praesertim autem tunc, quum hoc amabilissimum Cor quasi oblivioni datum est, et a reliquis cordibus hominum quasi mortuum, et solitudo factum est. O quam felicia tunc sunt vel minima temporis momenta, quibus solus cum solo Corde Jesu, et quidem tui amantissimo agere potes. Nemo tunc est, qui tibi rapere possit ditissimum hoc Cor: tempus tunc est, non tantum ingrediendi, sed etiam aggrediendi infinitum hunc thesaurum etc. Profecto qui praesentia tua Christum in sua solitudine quasi consolaris, non potes non mereri magnas gratias a liberalissimo Corde Jesu. Hanc in rem scimus olim amantissimum Jesum apparuisse Ven. Patri Balthasari Alvarez, onustum sarcina pretiosissimarum mercium, videlicet gratiarum, eique haud modicum inde largitum esse, quod

Digitized by Google

illum in templo a reliquis desertum aliquando visitare voluerit. Cordi, et tali Cordi nec minimum amoris obsequium frustra exhibetur. — Ad haec Eberlein in Pericardio: Si Cor Christi attendimus, ait Richard. a s. Victore, lib. 2. de Emmanuel. c. 21., nihil illo dulcius, nihil illo beatius, nihil uspiam creaturarum suavius esse poterit illo Corde [1]). Si ergo Cor Jesu tantae est suavitatis, et tu illud insuper tam tenere amas, hinc tibi difficile non erit, quadrantem aliquem surripere, ut eum impendas amori tam dulcis Cordis; sic enim et amori satisfacies, et alacrior ad negotia redibis. Sed quid hoc quadrante agendum? vel vocales preces de Corde Jesu persolvere, vel alia interna exercitia peragere poteris. Sed adverte, si tibi possibile fit, ut te in ecclesiam conferas, ubi Cor Jesu vere tibi in Eucharistia praesens erit; sic enim haec devotio tibi utilior, et Cordi Jesu magis accepta erit, praeterquam quod visitatio SS. Sacramenti opus sit amatori Cordis Jesu valde congruum; idque ex duplici causa. Prima se tenet ex parte Cordis Jesu, altera ex parte amatoris Cordis Jesu. Primam quod attinet, certum est, quod haec visitatio Cordi Jesu valde grata sit; scis enim, quod Cor Jesu ob peccata et ingratitudinem mortalium moerore plenum sit, sed huic levando nulla res aptior quam visitatio; potissimum enim contra moerorem remedium est societas. Communio et societas, ait Nazianz., solatium est dolenti. Quod maxime verum est, si socius et amicus causam doloris removeat; causa autem, quod doleat Cor Jesu, non alia est, quam hominum languor et tepiditas, quodque ab ipsis tam parum aestimetur, pene deseratur, et in tabernaculo solum et vilipensum relinquatur. Tu ergo accede, moeroris causam remove, et Cor Jesu intimo amoris sensu complectere. Solitudo

1) *Migne:* Pat. Lat. tom. 196, p. 655.

Digitized by Google

moerorem intendit, quod ne fiat, Cor Jesu visita, et loco ingratorum illud honora, ama, adora, et mille affectibus venerare. Causa ex parte tua, o amator Cordis Jesu, facile deprehenditur; ubi enim libentius commoraberis, quam cum Corde dilecto? ubi dulciora pascua invenies, quam in Corde Jesu? ubi securius habitabis, quam coram Corde tui Patris, Pastoris et amantissimi Salvatoris? Vipera sub arbore balsami nidulans venenum perdit fragrantia balsami veneno adversante: et nos veneno malae vitae liberabimur, si frequenter manserimus cum Corde Jesu quod e se distillat omnis virtutis balsamum.

IX. Promove, quantum in tuis viribus est, cultum Cordis Jesu per distributa Rosaria et imagines Cordis Jesu, per libellos de illius cultu etc.; puta tibi quoque dictum, quod Christus dixit B. Margaritae Alacoque, quando illam hortatus est, ut devotionem erga Cor suum tanquam ultimam inventionem amoris divini, qua corda hominum ad se attraheret, infimis et summis persuaderet.

X. Cordi Jesu frequenter cor tuum oppone, et secundum Cor Jesu examina. Praxim hanc P. Jacobus Alvarez de Paz, Societ. Jesu, excellentissimis in via spirituali libris vitaeque sanctitate insignis, tomo tertio *l. 4. p. 2. Exercit. 2.* his verbis tradit: [1]) „Conaberis intrare in Cor Domini Jesu ipsumque considerare, quale sit, ut ad ipsius similitudinem cor tuum efformes. Cor istud sanctissimum est via, per quam venimus ad aeternam mansionem, quae est Christi divinitas; et ostium, per quod ingredimur ad contemplationem divinitatis. Ut ergo possis ad contemplationem et amorem divinitatis ascendere, in Cor istud Domini, omnium cordium sanctissimum, atque mundissimum intenta considera-

1) Supra pp. 390—391.

Digitized by Google

tione penetrare curabis, ut simile cor aspirando in oratione, et laborando in actione habere coneris.“ Ita est. Saepius penetra cum corde tuo in Cor Jesu; nam, ut mellifluus Bernardus in tract. de Pass. ait: „Ibi thesaurus ineffabilis caritatis latet, ibi nova devotio invenitur, inde lacrymarum gratia extrahitur, discitur mansuetudo, patientia, compassio, et praecipue cor contritum et humiliatum invenitur.“ Verum de ingressu in Cor Jesu mox plura.

XI. Ama vitam internam, seu absconditam cum Christo in Deo. Hunc in finem domicilium tuum aedifices in Corde Jesu, vel potius ipsa habitatio tua sit Cor Jesu. Hic potissimum post negotia et labores te collige. „Faciamus,“ nos admonet ex S. Bonaventura vir sanctissimus, Vincentius Caraffa, Praepositus Generalis Societatis Jesu [1]) in suo Myrrhae fasciculo, „tria tabernacula: unum in pedibus, unum in manibus, aliud continuum in latere, ubi volo quiescere, et vigilare, bibere, comedere, legere, et omnia mea negotia pertractare.“ Hanc praxim assidue observarunt Sanctus Comes Elzearius [2]), piissima in Gallia ancilla Armella Nicolas, Bernieres de Louvigni, Galliae Thesaurarius, vir vel inter medios mundi tumultus ob insignem virtutem summus, aliique quam plurimi, inter quos primo loco ponenda erat Beata Margarita Alacoque, quae in hoc Cordis Jesu domicilio varias identidem personas assumpsit, habitans in eo nunc ut discipula in schola, nunc ut aegrota in apotheca, nunc ut captiva in carcere amoris, nunc ut paupercula in palatio Regis ditissimi etc. [3]) Praxis haec illud quoque commodi habet,

1) Obiit 8. Jun. 1649.

2) Vide supra pp. 355 et 363.

3) Demeures dans le sacré Coeur de Notre-Seigneur Jésus-Christ. (*Vie et oeuvres de la b. Marguerite Marie*) tom. 2. pp. 469 seqq.)

Digitized by Google

ut vitam quietam semper et jucundam vivere possimus, ita, ut de nullo casu admodum laetemur, neque etiam tristemur. Sic Maria Claudia de Pontalliers, virgo sanctissima ex Ordine Coelestinarum, de se testata est: Ex quo in Corde Jesu habito, ne quidem ad tempus, quo Psalmus 50. recitatur, tristis fui.

XII. Quidquid petis a Deo, si tamen bonum est, quod petis, prius repone in Corde Jesu, et tunc primum ad Deum desideria tua dirige. Monitum et praxis haec est Angelici juvenis Aloysii, qui, ut vita a Cepario scripta habet, haec sibi annotavit: „Desideria, quae concipis, non ita a te commendanda Deo sunt, quemadmodum in tuo, sed quemadmodum in Christi pectore sunt; quoniam enim bona sunt, in Jesu prius, quam in te sint, necesse est, longeque ab eo propensiore affectu, quam a te exponentur.“ Ad hanc praxim pertinent ea, quae Blosius, ex Ordine S. Benedicti, in rebus spiritualibus et divinis Magister omnium consensu summus, et vitae sanctitate celeberrimus [1]) in Spec. Spir. c. 7. sub finem his verbis monet: „Commenda bona opera et exercitia tua sacratissimo atque mellifluo Cordi Jesu emendanda, perficiendaque; maxime enim id expetit Cor illud amantissimum, et semper paratum est, imperfecta tua excellentissimo modo perficere.“ Atque haec ipsa praxis est, quam jam pridem ante Blosium sancta Gertrudis divinitus edocta adhibuit, ut videre est in ejus revelationibus.

XIII. Post S. Communionem praeter quintam praxim etiam aliae non paucae praecedentium servire poterunt. Tunc praesertim illud sancto Felici Capucino familiare suspirium ardentissime ingemina: „Jesu accipe cor meum! et nunquam illud mihi redde.“ Vel sequere consilium citati

1) Conf. sup. pp. 352 et 373.

Digitized by Google

Caraffa ita loquentis: „Postula commutationem cordis dicendo: Jesu! praebe mihi cor tuum, o quanto aptius meo, quam tuo pectori competeret; amaret enim te utpote amore dignissimum. Dum vero est in te, amat me dignissimum odio.“ Per ejusmodi suspiria obtinuit olim post S. Communionem S. Mechtildis, ut Jesu illi cor extraxerit, illudque liquefactum ita cum suo Corde commiscuerit, ut ex duobus cordibus unum cor fieret, in nostrum solatium haec subjungens: tali modo corda hominum fiant unum cor cum Corde meo.

XIV. Festum Cordis Jesu omni possibili modo celebra. Id fiet, si praeter sanctissima Sacramenta summa cum devotione obita praedictas praxes omnes, si unquam alias, hoc certe die observes. Quum primis vero studeas, omni abjecta sensuum licentia, et effusione animi ad externa, te totum quantum intra Cor Jesu recipere vitamque ibi absconditam vivere, attendendo ad omnes illius sanctissimos motus et affectiones divinissimas, tuaque omnia eidem conformando. His omnibus addas magis insignem aliquam tui cordis victoriam, quam sanctissimo Cordi tanquam solemne homagium offeras, exercendo arduum aliquem virtutis actum, praesertim mansuetudinis, aut humilitatis.

XV. Si vis Cordi Jesu carus esse, prae omnibus virtutibus cole mansuetudinem, et humilitatem, virtutes Cordi Jesu proprias et vere characteristicas. Hoc est monitum magni sancti Francisci Salesii, insignis illius amatoris Cordis Jesu, qualem vel solae ejus Epistolae manifeste loquuntur. Non alias virtutes Cordis sui Jesus nobis tam claris verbis commendavit, quam mansuetudinem et humilitatem, ac si in his solis tota Christiana perfectio consisteret. „Discite a me, quia mitis sum et humilis Corde.“ Math. 11. Certe per has duas virtutes in summo gradu acquisitas magnus Sale-

Digitized by Google

sius perpetuo, quum adhuc in terris esset, in Corde Jesu habitare promeritus est, uti, referente Reverendissimo Langueto, venerabilis Mater Anna Clementina ex Ordine Beatae Mariae a Visitatione Melodùni anno 1661 in fama sanctitatis demortua divinitus edocta est. Per easdem virtutes haud dubie obtinuit, ut ex eo, quem instituit, Sanctimonialium Ordine, unique earum facta divinitus revelatione, cultum sanctissimi Cordis Jesu cum tanto mortalium commodo in totum orbem jam diffusum videre et in ipsis coelis admirari possit.

F. De scapulari SS. Cordi Jesu.

1. *De origine scapularis SS. Cordis Jesu.*

(Ex ephemeride ital. „Messaggere", Nov. 1871.)

Mentre infieriva in Marsiglia la terribile pestilenza del 1720 e vi mieteva ogni giorno più di mille vittime, come testificò lo stesso Vescovo di Marsiglia all'assemblea del clero di Francia, vivea colà, in odore di santità, Suor Maddalena Remuzat, Religiosa della Visitazione, tenerissima del S. Cuore di Gesù. Fu per consiglio di lei, che Mons. Vescovo, ad impetrare la cessazione di tanto flagello, consacrò solennemente la città e la diocesi al Cuore SS. di Gesù Cristo, e gli effetti di questa consacrazione furono sì meravigliosi e sì pronti, che lo si tenne da tutti per un miracolo. Da quel tempo Suor Maddalena consigliò a tutti di portare al petto in forma di scapolare, come preservativo del morbo, l'immagine del S. Cuore di Gesù con questa scritta : FERMATI! IL CUOR DI GESU' È CON ME! Questa pia pratica, diffusasi in Francia per opera delle Religiose della Visitazione, ebbe un'efficacia meravigliosa in tutti i contagi che vennero dopo, efficacia che si vide poscia

Digitized by Google

rinnovare in molte circostanze ancor nelle altre contrade e specialmente in alcuni luoghi della Lombardia, dell'Italia centrale, dove all'infierire del cholera, in questi ultimi anni si diffuse la divozione dello scapolare.

Non è a dire poi quante grazie spirituali e temporali trasse in seguito questo caro scapolare su quelli che l'indossarono con divozione. Tra le altre nella guerra ultima di Francia, si osservò una segnalata protezione del Cuor di Gesù sia per quelle case dietro le cui porte era attaccato tal nuovo preservativo, sia sulle persone che l'avevano indosso.

2. *Commendatio Pontificia.*

Libellus supplex Summo Pontifici oblatus.

Ex audientia Sanctissimi.

Beatissime Pater. Paulus Cardinalis Cullen, Archiepiscopus Dublinensis, Beatitudini Vestrae eo quo par est obsequio exponit, fideles in Hibernia, Anglia alioque ab aliquibus annis solere gestare parvam imaginem Sacri Cordis Jesu lana alba acu depictam, vel alias eidem lanae affixam e collo supra pectus pendentem, modo fere parvi scapularis, et cum hisce verbis in lingua vernacula impressis: *Cessa! Cor Jesu nobiscum est.* [1])

Orator ad magis augendam fidelium devotionem ac fiduciam erga SS. Cor Jesu Vestram Beatitudinem enixe rogat, ut benigne concedere dignetur aliquam indulgentiam iis fidelibus, qui praedictam imaginem, ut supra, gestaverint.

Rescriptum propria manu Pontificis exaratum.

Die 28. Octobris 1872.

Indulgentiam centum dierum semel in die lucrandam

1) *Ital.* Fermati! Il Cuor di Gesù è con noi. *Gall.* Arrète! Le Coeur de Jésus est avec nous. *Germ.* Halt! Das Herz Jesu ist mit uns.

Digitized by Google

benigne concedimus Christifidelibus deferentibus signum supradictum, recitando aliquam piam precem, videlicet Pater, Ave, Gloria.

Pius Papa IX.

Praesens Rescriptum, manu SS. exaratum, exhibitum fuit in Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum hac die 18. Decembris 1872, ad formam Decreti ejusdem S. Congregationis, die 14. Aprilis 1856.

In quorum fidem.

Dominicus Sarra,
substitutus.

3. *Benedictio Scapularis.*

Formula benedicendi Scapulare SS. Cordis Jesu in ephemeride ital. „Messaggere" proposita mense Novemb. 1871.

℣. Adjutorium.
℟. Qui fecit.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Domine Jesu Christe, qui caritate perpetua nos dilexisti, te supplices deprecamur, ut hoc scapulare in honorem Sacratissimi Cordis tui gestandum bene ✝ dicere digneris, ut qui illud gestaverit, in amore tuo et in protectione tua semper maneat. Amen.

Cor Jesu Sacratissimum, miserere nobis.

Digitized by Google

§ VI.

ORATIONES

Horis Canonicis utiliter praemittendae,

quas Christus Dominus docuit S. Gertrudem orare.

L. III. Insinuat. divin. Piet. c. 46.

Ad Matutinum.

Laudo te, Domine Jesu Christe, per Cor tuum dulcissimum, in innocentia integerrimae virginitatis Matris tuae, qua ipsa te Virgo concepit, Virgo peperit, et post partum Virgo inviolata permansit, et imitata est tuam innocentiam, qua tu hora matutina pro redemptione generis humani captus, ligatus, alapis et fustibus caesus, diversisque contumeliis et opprobriis miserabiliter et immisericorditer es affectus.

Laudo et saluto te, Mater beatitudinum, dignissimum Spiritus sancti sacrarium, per dulcissimum Cor Jesu Christi Dei Patris, tuique amantissimi Filii, orans, ut in omnibus indigentiis, et in hora mortis nobis succurras. Amen.

Ad Primam.

Laudo te, Domine Jesu Christe, per Cor tuum dulcissimum, in humilitate illa placidissima, qua intemerata Virgo Mater tua, magis magisque habilitabatur ad te suscipiendum, et imitata est tuam humilitatem, qua tu Judex vivorum et mortuorum, hora prima coram gentili homine judicandus adstare humiliter es dignatus pro redemptione generis humani.

Laudo et saluto te, Mater etc.

Ad Tertiam.

Laudo te, Domine Jesu Christe, per Cor tuum dulcissimum in desiderio illo ferventissimo, quo sanctissima Mater tua, te Filium Dei, de sinu Patris summi traxit in uterum

Digitized by Google

suum virginalem, et imitata est te in illo desiderio ferventissimo, quo tu salutem humanam desiderasti, cum duris flagellis caesus, spinis coronatus, et hora tertia crucem ignominiosissimam, tuis fessis cruentatisque humeris cum summa mansuetudine et patientia dignatus es bajulare.

Laudo et saluto te, Mater etc.

Ad Sextam.

Laudo te, Domine Jesu Christe, per Cor tuum dulcissimum, in spe illa securissima, qua coelica Virgo Mater tua, per bonam voluntatem et sanctam intentionem semper ad laudem tuam aspirabat, et imitata est te, qui in alta crucis arbore suspensus, inter ipsas mortis acerbitates, totis viribus anhelabas ad humani generis redemptionem: unde et clamabas: *Sitio*, in tantum scilicet salutem animae humanae, quod si necesse fuisset, adhuc duriora et amariora supplicia pertulisses teque ad universa pro redimendo homine gratis paratum obtulisses.

Laudo et saluto te, Mater etc.

Ad Nonam.

Laudo te, Domine Jesu Christe, per Cor tuum dulcissimum, in ardentissimo illo amore mutuo, scilicet divini Cordis, ac intemeratae Virginis Matris tuae, quae Divinitatem excellentissimam tenerrime conjunxit, ac inseparabiliter cōunivit humanitati in utero virginali, et imitata est te, vitam viventium hora nona in cruce prae amoris magnitudine morti acerbissimae succumbentem ob humanam redemptionem.

Laudo et saluto te, Mater etc.

Ad Vesperas.

Laudo te, Domine Jesu Christe, per Cor tuum dulcis-

Digitized by Google

simum, in fide illa constantissima, qua B. V. Mater tua ... tempore mortis tuae recedentibus Apostolis .... in vera fide perstitit immobilis, et imitata est te in fidelitate illa, qua jam mortuus de cruce depositus, subsecutus es hominem etiam usque ad limbum inferni, unde ipsum omnipotenti manu misericordiae tuae eripiens, transvexisti ad gaudia paradisi.

Laudo et saluto te, Mater etc.

Ad Completorium.

Laudo te Domine Jesu Christe, per Cor tuum dulcissimum, in perseverantia illa laudabilissima, qua Mater tua dulcissima in omnibus bonis et virtutibus perseveravit usque in finem, et imitata est te tanta diligentia opus humanae redemptionis peragentem, ut etiam post obtentam amarissima morte veram hominis liberationem, nec dum omiseris corpus tuum incorruptibile humano more tradere sepulturae, ut demonstrares nihil omnino esse tam vile, quod pro salvatione hominis recusares.

Laudo et saluto te, Mater etc.

§ VII.

Breves meditationes de Passione Domini

sub ipso Sacro instituendae.

(Ex P. Schauenburg.)

Meditationes has de sanctissima passione Christi hic sistimus, tum quia sacrosanctum Missae Sacrificium ex ipsa institutione Domini nostri Jesu Christi memoriale est Passionis Dominicae; ob quam ipsam rationem hujus passionis contemplatio sub sacrificio Missae ab omnibus

Digitized by Google

SS. Patribus, Theologis et Ascetis omnibus aliis precibus praefertur; tum ut cultores Cordis Jesu sensim assuefiant per sanctas meditationes sanctissimum Cor Jesu, abyssum illam mysteriorum Dei, penitius intrare. Denique servient etiam hae meditatiunculae ad lucrandas indulgentias, quas Benedictus PP. XIV. an. 1746 concessit iis, qui saltem per horae quadrantem singulis diebus et per totum mensem orationi mentali dabunt operam: Indulgentias, inquam, plenarias semel in mense, si vere poenitentes et confessi die quocunque sibi commodo sanctissimum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, et consuetas preces ad intentionem Summi Pontificis persolverint: quas quidem Indulgentias etiam animabus in purgatorio detentis per modum suffragii applicare possunt.

Caeterum illud quoque tanquam punctum summi momenti servandum est, ut si forte in aliqua ex hisce considerationibus sub SS. Sacrificio animae tuae quistem inveneris, illi pro data tibi hic et nunc gratia, quamdiu illa aspirat, studiose immoreris, licet forsan alias subsequentes etiam plures aut omnes omittere deberes.

I. Quando Sacerdos ad aram procedit.

Memoria. Jesus in ultima coena Sacrificium Missae instituit, seque hominibus in cibum et potum relinquit. *Intellectus.* Quam bonum debet esse Cor Jesu, dum nobis nil tale promeritis tanta cum liberalitate et prodigiosa amoris inventione se totum quantum quotidie donat. *Voluntas.* O mi Jesu, quam alius ego sum! o quam avarum erga te est cor meum! quam multa hactenus a me petiisti, sed quae ego tibi denegavi. Non ita in posterum. Tu eris Rex cordis mei. Loquere, o amabilissime Jesu! ad cor meum, quia jam audit servus tuus.

Digitized by Google

II. Quando Sacerdos ex ara descendit.

Memoria. Jesus descendit ex monte Oliveti in hortum Gethsemani, et cum eo discipuli sui. *Intellectus.* Veri discipuli et amici Jesu Jesum nunquam deserunt. *Voluntas.* Quam pudet me mei, bone Jesu! ad modicam tentationem aut adversitatem, quam saepe recessi a te! o magnanimum Cor Jesu! inspira pusillo cordi meo aliquid divini roboris tui, ut nunquam amplius te deseram.

III. Quando Sacerdos se ad Confiteor inclinat.

Memoria. Jesus in terram prostratus, et orans agoniam patitur, in qua prae angustia Cordis copiosum sanguinem sudat. *Intellectus,* Ad hunc miserandum statum perduxere Jesum mortalium peccata. Si autem Jesus tanta cum vehementia dolet de alienis, quantum ego dolere debeo de propriis! *Voluntas.* Quas ego, o Jesu! tibi grates persolvam pro his angustiis amabilissimi Cordis tui! Per has ipsas rogo te, compunge et meum cor, ut per veram peccatorum meorum contritionem Cor tuum doloribus oppressum, quantum possum, consoler.

IV. Quando Sacerdos iterum ad aram ascendit, eamque in medio osculatur.

Memoria. Judas osculo Jesum Judaeis prodit. *Intellectus.* Numquid ego frater sum Judae, quando ore quidem Jesum me amare profiteor, cor meum autem longe est a Jesu? *Voluntas.* Amantissime Jesu, qui Judam etiam tunc, quando te hostibus tradit, amici nomine dignatus es: *amice! ad quid venisti?* Agnosco, laudo et amo tuum caritate etiam erga inimicos tuos supereffluens Cor. Sincerissima haec caritas trahit cor meum, ut non ore tantum, sed etiam corde tuus esse sincerissime jam velim.

Digitized by Google

V. Ad Kyrie eleison.

Memoria. Jesus verbis illis: *Ego sum*, prosternit ad terram omnes inimicos suos, quibus tamen mox ultro se captivum tradit. *Intellectus.* Quam dura sunt peccatorum corda, etiam ad manifesta miracula! Nimirum contemnet peccator, quum in profundum venerit. *Voluntas.* O Jesu dulcissime! cujus Cor prae amore mei factum est tanquam cera liquescens, tantum ne permittas me fieri hominem duri cordis. Da gratiam! gratiam, gratiam, sed magnam et efficacem, sine qua ipsis Judaeis opere sceleratior, et corde obstinatior fierem.

VI. Quando Sacerdos dicit Gloria in excelsis.

Memoria. Judaei laetantur ob captum Jesum. *Intellectus.* Et nos Christiani saepe laetamur in rebus pessimis, quibus ipsis Jesum nostrum offendimus; quum tamen vel unicum peccatum mereretur infinitam tristitiam. *Voluntas.* Detestor mi Jesu ex toto corde omne gaudium, omnem voluptatem, omnem laetitiam, quae extra te est. In hoc solo laetabitur deinceps cor meum, si fiam captivus tuus, tractus ad te ab amabilissimo Corde tuo in vinculis caritatis tuae.

VII. Ad Epistolam.

Memoria. Jesus inter sputa, alapas, atrocissimas calumnias etc. praesentatur Annae et Caiphae, tanquam ovis ad occisionem ductus. *Intellectus.* Quam mansuetum est Cor Jesu innocentissimi, qui ad haec opprobria vix verbulum loquitur! quale autem est cor meum, si quam injuriam mihi illatam esse putem? *Voluntas.* Jesu mitis corde! aufer a me omnem amaritudinem cordis, poneque ori meo custodiam et ostium circumstantiae labiis meis, ne ulla unquam ira-

Digitized by Google

cundia proximum meum, et in hoc ipsum mansuetissimum tuum Cor offendam, cujus amoribus omnem jam vindictam dono et sacrifico.

VIII. Ad Evangelium.

Memoria. Ter etiam cum juramento negat Petrus, se Jesum nosse. *Intellectus.* Numquid et ego, si non verbo, saltem opere nego Jesum, quando ex respectu humano, ex timore etc. ea ago, quae cum veritatibus Evangelicis a Jesu revelatis minime conveniunt, quum tamen me discipulum ejus ore profitear. *Voluntas.* Benignissime Jesu! cujus Cor misericordia plenum est, iis oculis, quibus Petrum respexisti, respicere et me digneris, ut fides cordi meo infusa constanter deinceps resplendeat etiam in opere, quo publice cum Apostolo tuo tester: *Non erubesco Evangelium.*

IX. Ad Credo.

Memoria. Jesus ad Pilatum, dein ad Herodem ducitur, a quo veste alba indutus, tanquam stultus habetur. *Intellectus.* Haec sunt judicia hujus mundi de Jesu, sed quam erronea! *Voluntas.* Jesu! in cujus Corde sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi, qui mei amore stultus haberi voluisti, te ego sapientiam incarnatam agnosco et adoro; judicia vero et sapientiam hujus mundi stultitiam esse profiteor. Rejicio toto corde omnia illius principia et axiomata, et, si forsan ab eo propterea irridear et contemnar, gratulabor mihi, si dignus habear, pro nomine tuo contumeliam pati.

X. Quando Sacerdos calice detecto panem et vinum offert.

Memoria. Jesus denudatur et crudelissime flagellis

Digitized by Google

caeditur, dein spinis coronatur, et lacero centone indutus, manuique inserta arundine tamquam Rex ludicrus habetur. *Intellectus.* Haec flagella, hae spinae, haec ludibria quanto rubore suffundere me debent, qui cùticulam et honorem meum tam studiose curo plenus amore et aestimatione mei! *Voluntas.* Superamabilissime Jesu! qui omnes flagellorum ictus, omnesque spinarum puncturas acerbius in sanctissimo tuo Corde, quam in carne et capite sensisti, quique immania ludibria hoc ipso suavissimo Corde ex amore mei laetus excepisti, grates immensas pro hoc amore Cordis tui agere tibi cupio. Sed et detestor omnes carnis voluptates, omnem cordis superbiam, quae tantis doloribus et opprobriis sanctissimo huic Cordi tuo stetere.

XI. Quando Sacerdos manus lavat.

Memoria. Pilatus Jesum tradit voluntati Judaeorum; dein lavat manus, dicens: innocens ego sum a sanguine Justi hujus. *Intellectus.* Quam malum est cor hominis ad excusandas excusationes in peccatis suis, saepe in ipso adeo sacro tribunali, ubi peccata nostra parum sincere exponimus! *Voluntas.* Jesu bone his, qui recto sunt corde, da, ut cor meum rectum sit cum Corde tuo, sicut et Cor tuum rectum est cum corde meo. Tu intueris abscondita cordium, et vae dicis illis, qui duplici sunt corde. Aufer, quaeso, a me omnem duplicitatem, ut semper in conspectu tuo ambulem simpliciter.

XII. Ad Orate Fratres et Secret.

Memoria. Maria extreme afflicta est ob sententiam mortis in Jesum Filium suum latam. *Intellectus.* O quam triste et afflictum fuerit tunc Cor benedictum Mariae Matris! *Voluntas.* Jesu! qui dolores Cordis tui Mariae communi-

Digitized by Google

casti, hujus ipsius afflictissimum Cor tibi offero, ut eo suppleam, quidquid compassionis erga te tot et tanta amore mei patientem cordi meo deest. Tu vero, o Mater dolorosa! fons amoris, me sentire vim doloris fac, ut tecum lugeam; fac, ut ardeat cor meum in amando Jesum Deum, ut sibi complaceam.

XIII. Ad Praefationem et Sanctus.

Memoria. Jesus, qui die Palmarum tanto cum jubilo Jerosolymis est exceptus tanquam Sanctus Sanctorum, nunc cum majori longe ex eadem urbe ad montem Calvariae et crucis patibulum tanquam homo sceleratissimus cum duobus latronibus educitur. *Intellectus.* Quam instabile est cor humanum! quam repente ab amore ad odium transit! *Voluntas.* O Jesu! agnosco satis, quam longe melius sit Cor tuum, quam cor cujuscunque hominis. Quem tu semel amas, amas semper, nisi ultro amori tuo renuntiet. Quum diligis, in finem et usque ad mortem et per totam aeternitatem diligis. Benedictum millies sit hoc Cor tuum, cui nullum est simile. In te uno, o Cor fidelissimum, et in amoribus suis constantissimum, collocabo deinceps spes meas omnes.

XIV. Quando Sacerdos in silentio orat usque ad Consecrationem.

Memoria. Jesus summo in silentio sine omni querela pergit, quamdiu potest, cum cruce sua in montem Calvariae. *Intellectus.* Dum video Jesum cum cruce sua, numquid audio illius voces: qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me? *Voluntas.* Quam pudet me mei, o bone Jesu, quod hactenus ita exhorruerim omnem vel minimam crucem, quam tamen nonnisi ex amore tui Cordis, quod me plus amat, quam ego me ipsum amo, aut etiam amare possum, mihi immisisti. O amabilissime

Digitized by Google

Jesu! non ita deinceps; hic ure, hic seca, prout tibi placuerit, dummodo in aeternum parcas.

XV. Ad elevationem hostiae et calicis.

Memoria. Jesus elevatur in cruce, et sanguis copiosus ex perforatis manibus et pedibus profluit. *Intellectus.* Non frustra sane Jesus in cruce est, neque frustra divinus sanguis profunditur. *Voluntas.* Salvete millies salutis meae vulnera: salve sanguis pretiosissime, redemptionis meae lytrum: in his ego deinceps confidam unice. Hic ego in omnibus meis adversitatibus, in omni tristitia et pusillanimitate robur et auxilium inveniam. Innocentissimae manus tenete me, ne cadam in ullum praesertim grave peccatum. Sanctissimi pedes dirigite me, ut constanter ambulem in via virtutum, potissimum earum, quae statum meum decent. Aspice, o Pater, Jesum Filium tuum pro me in cruce, intuere illius Cor sensim pro me emoriens, et miserere mei, neque sinas animam meam tam caro redemptam aeternum perire.

XVI. Quando Sacerdos orat secreto usque ad Pater noster.

Memoria. Stabat populus spectans, et deridebat crucifixum Jesum. Praetereuntes autem blasphemabant eum, moventes capita sua. *Intellectus.* Quam inhumana sunt Judaeorum corda, dum homini innocenti, et cum morte inter summos dolores luctanti, jamque moribundo irrident! *Voluntas.* Jesu mi, vere Fili omnipotentis et viventis Dei! haec pati potes, et vis? O cur non emisso e cruce fulmine blasphemos in tartara praecipites agis? sed nempe vincit in bono malum mansuetissimum Cor tuum. O quid non sperem ego ab hoc ipso magnus licet peccator! Eja cor meum, infidum quamvis, et rebelle hactenus, confide. Revertere ad

Digitized by Google

Cor Jesu, ad Cor Patris, imo plus quam Patris; recipiet hoc filium prodigum.

XVII. Ad septem petitiones Orationis Dominicae, seu Pater noster.

Memoria. Jesus in cruce septies loquitur, simulque Mariae tanquam filium commendat Joannem, et huic ipsi tanquam Matrem Mariam: *Mulier ecce filius tuus: Ecce Mater tua. Intellectus.* Aequum erat, ut per testamentum moriens Jesus relinqueret Mariae optimam portionem, nempe Joannem dilectum suum discipulum, qui et recubuit super pectus Jesu. Sed et Joannes Cordi Jesu carissimus nullum carius legatum accipere poterat, quam Matrem Cordis Jesu. *Voluntas.* Benedictus sis millies, Jesu amabilissime! qui in Joanne nos quoque filios esse voluisti Matris optimae. Per illum amorem, quo Joannem loco omnium mortalium ad divinissimum pectus tuum admisisti, rogo te humillime, fac me ita esse dignum in hac vita Mariae filium, ut aliquando post mortem te cum Matre in aeternum laudare et amare possim.

XVIII. Ad Agnus Dei.

Memoria. Jesus agnus innocentissimus inclinato capite tradit spiritum. *Intellectus.* Aut amor, aut furor est; hic meus, ille tuus. *Voluntas.* Vivat amor Jesu erga me infinitus: pereat inhumanus meus, omniumque peccatorum erga Jesum furor! Tu autem, Pater aeterne, aspice emorientes Jesu Filii tui oculos, mortualem toto corpore erumpentem sudorem, immanibus doloribus plenum agonem, caput se in mortem inclinans, ultimum denique Cordis expirantis anhelitum: aspice, inquam, Jesum pro me jam mortuum, et per hujus amorem fac, ut et ego moriar mihi, tibique unice deinceps vivam.

Digitized by Google

XIX. Ad Domine non sum dignus.

Memoria. Lancea Jesu latus vulneratur, et corpus ipsum in novo monumento sepelitur. *Intellectus.* Quam sancta jam habetur lancea, quae Cor Jesu tetigit: quam gloriosum jam est sepulchrum, in quo Corpus Jesu jacuit! Sed numquid longe beatior ego sum, qui Cor et Corpus Jesu tam frequenter per sacram communionem et tangere et intra me recipere possum? *Voluntas.* Millies sis benedictus, o Jesu mi! pro hoc ineffabili amore tuo. Et ecce! jam nunc, quum per te ita liceat, quamvis non sum dignus, desidero te intra me recipere. Sitit anima ad te, o Jesu! o Jesu Eucharistice! Tu mihi sis in vita cibus, qui me totum immutet in te, ut et aliquando in morte accipere te merear viaticum pro felici aeternitate.

XX. Quando Sacerdos calice iterum tecto ad cornu Epistolae orat, et denique benedicit.

Memoria. Jesus a mortuis resurgens post quadraginta dies coelos ascendit gloriosus impertita prius paucis duntaxat praesentibus benedictione. *Intellectus.* Paucis tantum Jesus benedixit, quia et pauci duntaxat erant, qui de Jesu Passione participarunt. *Voluntas.* O mi Jesu gratulor jam tibi ex animo, qui post tam acerbam passionem gloriosus in coelis ad dexteram Patris sedes. Sed et dignare ex alto, postquam saltem per piam memoriam tuam sanctam passionem participavi, mihi quoque benedicere. Benedic corpori, benedic et animae meae: benedic domui meae, benedic omnibus meae curae subjectis etc., ut cum his ipsis aliquando sanctissima tua vulnera gloriosa, praesertim sanctissimi lateris et Cordis tui, in coelis aeternum videre et adorare possim. Amen.

Digitized by Google

APPENDIX AD I. PARTEM.

EXERCITIUM VIAE CRUCIS.

A.

DE NEXU INTER CULTUM SS. CORDIS JESU ET PIETATEM ERGA EJUS PASSIONEM.

Quae in Diplomatibus Pontificiis caeterisque actis Sedis Apostolicae evidenter ponitur colligatio cultus SS. Cordis Jesu et pietatis erga ejus passionem (sup. pp. 266, 268), ea paucis hic declaratur ex inspectis tribus, quae publicus SS. Cordis Jesu cultus complectitur elementis: *re signante, re significata, ratione significatus* (sup. p. 253), et religionis utriusque *fine* breviter comprabatur.

1. *Res signans*, seu verum Cor Jesu, pars est ejus corporis crucifixi, eaque praecipua, et maxime omnium passionis particeps, tum ob vulnus quod recepit (sup. pp. 155, 280 etc.), tum ob interiores Christi dolores, quorum omnium centrum fuit (pp. 71, 126, 155 etc.). Igitur cultus Cordis Jesu, doloribus affecti et lancea perforati praecipua pars est illius cultus, qui circa Jesum patientem et crucifixum versatur; cultus enim praecipuae partis, notante Marquesio [1]), comparatur cum pietate erga totum sicut pars ipsa cum toto. Si ergo spectetur *res signans*, et SS. Cor Jesu consideretur ut particeps passionis, cultus illius continetur in cultu passionis sive in studio crucifixi, tanquam praecipua et dignissima ejus pars.

2. Quodsi vero spectetur *res signata*, seu amor Christi, facile intelligemus, oppositum contingere, ac pietatem erga

1) Part. II., prop. 11. Consectarii art. 2.

Digitized by Google

Domini passionem, sub hoc respectu consideratam, vicissim contineri in cultu ejus SS. Cordis. Namque in religione SS. Cordis Jesu Cor spectatur *ut symbolum ejus erga nos amoris* (sup. pp. 225, 255, 283 alibi passim) et Jesus ipse ut amans nostri. Atqui Christus ut amans nostri comprehendit se ipsum amore nostri patientem, et latius patet, quam Christus patiens; neque enim ejus erga nos amor sola ipsius passione et morte continetur ac circumscribitur, sed pertinet ad totam ejus vitam, elucet in omnibus ejus mysteriis, in Incarnatione, in virtutum exemplis, in Eucharistia praesertim, ubi Dominus non minus amantem nostri se exhibet, quam exhibuit in cruce (sup. pp. 266 jcta. p. 163); ut adeo Sanctissimum Cor Jesu devenerando non passionem solam, sed omnia, aut saltem *praecipua in nos caritatis ejus beneficia recolamus* (Offic. Divin.). Ergo *memoria et veneratio Jesu Christi D. N. passionis et mortis pro generis humani redemptione amantissime initae* (sup. p. 266, 268) continetur in religione Sanctissimi Cordis, quae, spectata re significata symboli (sup. p. 255), pietas est erga Christum nostri amantem.

3. Ex *ratione significatus symboli*, seu ex intima illa cohaerentia Cordis cum amore (sup. pp. 255, 283 etc.) tandem manifesto patet, pietatem erga SS. Cor Jesu et pietatem erga ejus passionem ita esse connexas, ut separari non possint. Tota Domini passio enim debetur quodammodo ejus Cordi, quum amori debeatur, qui a Corde oritur. Quo spectat corona spinea, quam circum Cor Jesu, et crux quam supra illud B. Margarita Maria conspexit. Haec enim passionis instrumenta Cordi adscita, ipsomet Christo interprete, significant [1]), quidquid suppliciorum et injuriarum pro salute

1) „Mon divin Sauveur me fit connaitre, que ces instruments de

Digitized by Google

nostra passus est Dominus, id omne ex ejus erga nos amore atque adeo ex ipsius Corde fuisse profectum.

4. Accedit eo, quod *finis* utriusque religionis, dulcissimi Cordis et amarissimae passionis, ad contemplandam Christi caritatem pertinet; quemadmodum enim *devotio SS. Cordis eo spectat, ut caritatem effusumque amorem divini Redemptoris nostri meditemur atque veneremur* (sup. pp. 267—268): *ita etiam mors Christi posteris nuntiatur, ut discant, qua caritate dilexit suos, qui pro eis mori dignatus est, cui omnes vicem debemus rependere caritatis.* **C. Iteratur.** *71. Dist. 2. Cons.* Cui rei illustrandae accommodari potest, quod tam scite quam pie contra Blasium aliosque SS. Cordis Jesu osores animadvertit Marquesius [1]), Jesum crucifixum esse librum scriptum intus et foris (Apoc. V.); intus quidem amoris literis, foris vulnerum characteribus. Proinde, qui non aliud in crucifixo, quam externa ejus vulnera mirantur, haerent quodam modo in extima ejus membrana, solumque in hoc libro legunt sanguineam illam scripturam, qua ipsa depictus est foris; qui vero in Cor Jesu descendunt ac penetrant, ejusque erga nos caritatem in illo introspiciunt, ii enimvero amoris notas intelligunt, quibus mysticus hic liber scriptus est intus. Apposite S. Bernard. sermon. I. de resurrect. *vere Christus est liber ille, quem Joannes in sua Apocalypsi conscripsit, scriptum intus et foris; foris enim Christi vulnera cernimus: intus immensi erga nos amoris incendia contempla-*

---

sa passion signifiaient, que l'amour immense qu'il a eu pour les hommes avait été la source de toutes les souffrances et de toutes les humiliations, qu'il a voulu souffrir pour nous; que, dès le premier moment de son incarnation, il les accepta pour nous temoigner son amour.“ Loco indicato sup. p, 323, not. 2.

1) Loco heic citato n. 31.

Digitized by Google

mur. Unum igitur atque idem est, ardentissimam erga nos caritatem Christi patientis contemplari ac crucifixi libro intus legendo studere ejusque medullam assequi. Constat autem, ad religionem ac cultum SS. Cordis Jesu eandem hanc caritatis ejus contemplationem pertinere. — Recte igitur duo haec exercitia, religio SS. Cordis Jesu et pietas erga ejus passionem, ita conjuncta et apta inter se proponuntur, ut aliud ex alio nexum intelligatur.

B.

CONDITIONES VIAE CRUCIS.

1. Si hoc exercitium privatim fiat, sufficit meditari quamvis breviter de passione Domini, quod est opus injunctum ad acquirendas sacras indulgentias; [1]) et personis simplicibus sufficit cogitare aliquo modo eorum capacitati accommodato de supradicta passione; quamvis omnes hortemur, obligationem tamen non imponendo, ut unum Pater et Ave recitent. [2])

2. Licet pro acquirendis indulgentiis aliquis corporis motus requiratur, [3]) in publico viae crucis exercitio tamen

1) *Clemens PP. XII*: Avvertimenti necessarii per ben regolare il divoto esercizio della via crucis d. d. 3. April. 1731 coll. Decret. S. Congreg. Indulgent. d. d. 16. Febr. 1839: „Non quidem necessarium, expediens tamen erit, legere meditationes seu preces illis passionis mysteriis correspondentes", necnon Decret. ejusdem S. Congreg. Indulg. d d. 2. Jun. 1838: „Recitatio orationis Dominicae et angelicae salutationis tum pro unaquaque Viae Crucis statione quam sexies ipsas preces iterare post absolutas omnes stationes est tantum laudabilis consuetudo a nonnullis inducta, minime vero necessaria ad lucrifaciendas hujus Viae Crucis indulgentias."

2) Benedict. PP. XIV.: Not. ad l. c.

3) „De una ad aliam stationem transeundum est, quantum id permittit sive multitudo personarum Viam Crucis peragentium sive angustia loci in quo stationes erectae sunt." (Decret. S. Congreg. In-

Digitized by Google

methodus a S. Leonardo a Portu Mauritio proposita rite servatur, ut videlicet unoquoque de populo suum locum tenente sacerdos cum duobus clericis sive cantoribus circumeat, ac sistens in qualibet statione ibique recitans peculiares consuetas preces, caeteris alternatim respondentibus. [1])

C.

PRECES STATIONUM.

Statio I.

Christus ad mortem condemnatur.

Ave Jesu! qui damnaris,
Et ad crucem mox raptaris
Sic jubente praeside.
Fac o Jesu! ut loquendo
Et judicium ferendo
Parcam innocentiae.

Statio II.

Jesus suscipit crucem super humeros.

Ave Jesu! qui onustus
Gravi cruce, etsi justus,
Ad tormenta properas.
Fac o Jesu! ut amanter
Hauriam, sed et constanter
Omnes hic miserias.

---

dulgent d. d. 30. Septemb. 1837 et 26. Febr. 1841.) — Nostrae huic Provinciae Salisburgensi tamen *de speciali gratia in exemplum non afferenda* concessum est Rescripto S. Congregationis Indulgent. et SS. Reliq. d. d. 10. Mart. 1868, ut motus iste corporis de statione ad stationem non requiratur, sed sufficiat, *ut Christifideles saltem in loco, ubi manent, pro qualibet Viae Crucis statione assurgant et genuflectant.* (Brixner Diöcesanblatt, 1868, p. 28.)

1) Decret. S. Congreg. Indulgent. d. d. 23. Jul. 1757.

Digitized by Google

Statio III.

Jesus prima vice cadit sub cruce.

Ave Jesu! qui jam fessus,
Gravi crucis jugo pressus,
Prima vice laberis.
Fac o Jesu! ut deplorem
Primum casum et errorem
Copiosis lacrymis.

Statio IV.

Jesus crucem bajulans occurrit Matri suae dolorosissimae.

Ave Jesu! cujus pia
Venit genitrix Maria
Luctu plena obviam.
Fac o Jesu, ut Maria
Duce quaeram Te in via
Crucis, et inveniam.

Statio V.

Jesu a Simone Cyrenaeo in bajulatione crucis adjuvatur.

Ave Jesu! quem ut ducem
Simon, portans tuam crucem,
Sequi tandem debuit.
Fac o Jesu! sim amicus
Crucis, vani inimicus
Mundi, qui Te respuit.

Statio VI.

Veronica Christo sudarium praesentat.

Ave Jesu! cujus vultum
Sputis, plagis tot incultum
Terserat Veronica.

Digitized by Google

Fac o Jesu! probra gentis
Reparem in Te furentis
Caritate coelica.

Statio VII.

Secundus lapsus Jesu ad portam.

Ave Jesu! cujus cursum
Ingens pondus sistit rursum.
Ecce! cadis denuo.
Fac o Jesu! ne peccata
Sacramento expiata
Repetam perpetuo.

Statio VIII.

Jesus filias Jerusalem flentes alloquitur.

Ave Jesu! qui jussisti
Flere semet planctu tristi
Filias Jerusalem.
Fac o Jesu! ut hanc meam
Conscientiam tam ream
Serio examinem.

Statio IX.

Jesus ad ascensum montis Calvariae tertio cadit.

Ave Jesu! qui sub ligno
Tuis humeris indigno
Tertio jam concidis.
Fac o Jesu! ut non cadam
Nec incautus largas vadam
Vias consuetudinis.

Digitized by Google

Statio X.

Jesus vestibus nudatur, et felle potatur.

Ave Jesu! qui nudaris,
Felle etiam potaris
Ob intemperantiam.
Fac o Jesu! ut me veste
Semper contegam honeste,
Gulae non indulgeam.

Statio XI.

Jesus cruci affigitur.

Ave Jesu! humi stratus
Cruci fixus, elevatus,
Quanta pro me poteris!
Fac o Jesu! ut per crucem
Impetrem aeternam lucem
Liberatus inferis.

Statio XII.

Jesus in cruce levatur, et moritur.

Ave Jesu! dira sorte
Ac funesta crucis morte
Denique qui moreris.
Fac o Jesu! ut hora mortis
Fide, spe, amore fortis,
Dolos vincam daemonis.

Statio XIII.

Jesus de cruce deponitur.

Ave Jesu! corpus tuum
In sinum Maria suum
Recipit moestissima.

Digitized by Google

Fac o Jesu! ut dolorem
Piae Matris et amorem
Mente colam intima.

Statio XIV.

Sepultura Christi.

Ave Jesu! colo multum
Corpus tuum jam sepultum
Glorioso tumulo.
Fac o Jesu! ut frequenter
Tuum Corpus et ardenter
Corde sumam limpido.

Oratio de Passione Domini.

(E Rituali Romano.)

Oremus.

Deus, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, a judaeis reprobari, a Juda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annae, Caiphae, Pilati et Herodis indecenter offerri, a falsis testibus accusari, flagellis et opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis caedi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle et aceto potari et lancea vulnerari. Tu, Domine, per has sanctissimas poenas tuas, quas ego indignus recolo, et per sanctam crucem et mortem tuam libera me a poenis inferni, et perducere digneris, quo perduxisti latronem tecum crucifixum. Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen. *(Indulgent.)*

Digitized by Google

PARS II.

PIETATIS EXERCITIA ERGA PURISSIMUM COR MARIAE.

CAPUT I.

PIETATIS EXERCITIA EX LIBRIS LITURGICIS DEPROMPTA.

§. I.

Ex Missali.

A. Missa Omnis gloria. [1])

Introit. Omnis gloria ejus filiae Regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus; adducentur Regi virgines post eam, proximae ejus afferentur tibi.

Psalm. Eructavit Cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. Gloria Patri. Omnis gloria.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui in Corde beatae Mariae Virginis dignum Spiritus sancti habitaculum

1) Approbata a S. R. Congregatione die 21. Julii 1855. V. supra p. 449.

Digitized by Google

praeparasti, concede propitius, ut ejusdem purissimi Cordis festivitatem devota mente recolentes secundum Cor tuum vivere valeamus. Per Dominum.

Lectio Libri Sapientiae. Cant. 8.

Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio, dura sicus infernut aemulatio: lampades ejus lampades ignis atque flammarum. Aquae multae non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam; si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

Graduale. Nihil inquinatum in eam incurrit: candor est lucis aeternae, et speculum sine macula Dei majestatis, et imago bonitatis illius.

℣. Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia. Alleluja, Alleluja.

℣. Magnificat anima mea Dominum; et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Alleluja.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam. Cap. 2.

In illo tempore: dixit mater Jesu ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te. Et ait ad illos: Quid est quod me quaerebatis: Nesciebatis, quia in his quae Patris mei sunt oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos. Et descendit cum eis, et venit Nazareth: et erat subditus illis. Et mater ejus conservabat omnia verba haec in corde suo.

Offertorium. Quia fecisti viriliter, et confortatum est

Digitized by Google

Cor tuum: ita et manus Domini confortavit te, et eris benedicta in aeternum.

Secreta. Majestati tuae, Domine, Agnum immaculatum offerentes quaesumus, ut corda nostra ignis ille divinus accendat, qui Cor beatae Mariae Virginis ineffabiliter inflammavit. Per Dominum.

Praefatio. Et Te in festivitate b. Mariae Virginis.

Communio. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo.

Postcommunio. Divinis refecti muneribus Te, Domine, suppliciter exoramus, ut beatae Mariae Virginis intercessione, cujus Purissimi Cordis solemnia venerando egimus, a praesentibus periculis liberati, aeternae vitae gaudia consequamur. Per Dominum.

B. Missa Gaudeamus, P. J. Eudes. [1])

Introit. Gaudeamus omnes in Domino, diem festum celebrantes sub honore sanctissimi Cordis Beatae Mariae Virginis, de cujus solemnitate gaudent Angeli, et collaudant Filium Dei.

Psalm. Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. Gloria Patri. Gaudeamus.

Oratio. Deus, qui Unigenitum tuum tecum ab aeterno viventem, in Corde Virginis Matris vivere et regnare voluisti: [2]) da nobis, quaesumus, hanc sanctissimam Jesu et

---

1) Vide sup. p. 408.

2) Et ita quidem emendatus et correctus est orationis textus Decreto S. R. C. d. 13. Jun. 1861. Venerabilis auctoris ipsius manus enim haec erat: „*Deus, qui Unigenitum tuum in Corde tuo ab aeterno viventem in Corde Virginis Matris vivere et regnare in aeternum voluisti* . . . . .“, quemadmodum Vulgata legit.

Digitized by Google

Mariae in corde uno vitam jugiter celebrare, cor unum inter nos et cum ipsis habere, tuamque in omnibus voluntatem corde magno et animo volenti adimplere; ut secundum Cor tuum a te inveniri mereamur. Per eumdem Dominum.

Lectio Cantici Canticorum. Cap. 4, 5 et 8.

Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es! Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. Veni de Libano, sponsa mea; veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa; vulnerasti cor meum, in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui. Ego dormio, et cor meum vigilat. Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea; quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum; quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio. Lampades ejus lampades ignis atque flammarum. Aquae multae non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

Grad. Estote imitatores Jesu et Mariae, sicut filii carissimi: et ambulate in dilectione, sicut et ipsi dilexerunt vos. Hoc sentite in cordibus vestris, quod et in Corde ipsorum: et omnia vestra in humilitate et caritate fiant.

℣. Convertimini ad Deum in toto corde vestro: et sit vobis cor unum et anima una! Alleluja.

℣. Paratum cor meum, Deus cordis mei, paratum cor

Digitized by Google

meum, ut faciam omnes voluntates tuas corde magno et animo volenti.

Sequentia.

Laetabunda
Canant pie
Cuncta corda
Cor Mariae.

Cor amandum
Omni corde,
Cor laudandum
Omni mente.

Cor aeterni Numinis
En factum est Virginis
Cor aeternum.

Haec est Virgo sapiens,
Haec est Virgo rapiens
Cor divinum.

Consors Patris dexterae,
Fit Matris Deiparae
Cor et natus.

Flos Cordis Altissimi,
Flos Cordis Virginei,
Flos et fructus.

Cordis nostri gaudium,
Exilii solatium,
Cor Mariae.

Digitized by Google

Amoris miraculum, [1])
Caritatis speculum,
Liber vitae.

Fons vivus charismatum,
Thesaurus fidelium,
Thronus Christi.

Rubus ignem proferens,
Incombustus permanens,
Fornax Coeli.

O Fornax mirifica,
In te manent socia
Ros et flamma!

Ros mire vivificans,
Flamma beatificans
Corda pura.

Infundatur omnibus
Ros ille pectoribus:
Accendatur cordibus
Flamma sacra.

---

1) Antiquiores editiones duas has strophas varia lectione conceptas aeque convenienter sic tradunt:

Amoris oraculum,
Vexillum, signaculum,
Liber vitae.

Caritatis speculum,
Thesaurus charismatum,
Thronus Christi.

Digitized by Google

O Jesu, Cor Mariae,
Ros, ignis, fons gratiae,
Ure, purga, posside
Corda cuncta.

O amor, o amor, propera,
Ubique impera,
In terris, ut super sidera.

Nova praecordia,
Nova fac omnia,
Ut Jesum laudent
Cum Maria!
Amen. Alleluja!

Post Septuages. Omissis Alleluja cum ℣. et Sequentia dicitur:

Tractus. Vide, Domine, quoniam tribulor; conturbatus est venter meus, subversum est Cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum.

℣. Factum est Cor Virginis speculum clarissimum passionis Christi, et imago perfecta mortis ejus, quia stigmata illius in Corde suo portavit.

℣. Mortificationem Jesu semper in Corde et corpore suo portavit, ut vita Jesu manifestaretur in illa.

Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Cap. 2.

In illo tempore: Pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque Bethleem, et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis. Et venerunt festinantes: et invenerunt Mariam, et Joseph, et infantem positum in praesepio. Videntes autem cognoverunt de verbo, quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes, qui audi-

Digitized by Google

erunt, mirati sunt: et de his, quae dicta erant a pastoribus ad ipsos. Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in Corde suo.

Credo.

Offertorium. Gaudete mecum omnes, qui diligitis me, quia Cor meum elegit Altissimus, ut poneret in eo thronum suum, et regnum Filii dilectionis suae.

Ante Septuages. additur: Alleluja.

Secreta. Tua, Domine, propitiatione, et Cordis sanctissimi beatae Mariae semper Virginis intercessione, auferatur a cordibus nostris concupiscentia carnis et oculorum, atque ambitio saeculi: tibique, cum hac oblatione, in igne tui amoris atque in flamma aeternae caritatis jugiter immolentur. Per Dominum.

Praefatio de B. M. V. Et te in solemnitate sanctissimi Cordis Beatae Mariae.

Communio. Beatum Cor tuum, o Maria Virgo, thesaurus sanctitatis, fornax divini amoris, thronus omnium virtutum, sanctuarium divinitatis! Dei Genitrix, intercede pro nobis.

Ante Septuag. additur: Alleluja.

Postcomm. Domine Jesu Christe, qui miranda sanctissimae vitae, passionis et resurrectionis tuae mysteria, in sacratissimo Corde Matris tuae admirabilis conservari et glorificari voluisti: praesta, quaesumus, ut, meritis et intercessione ejusdem Cordis amantissimi, sicut te panem vivum ac regem nostrum ex altari tuo suscepimus, ita in corde et corpore nostro viventem et regnantem portare et glorificare, nosque in te, et propter te solum vivere valeamus. Qui vivis et regnas.

Digitized by Google

C. *Missa* Gaudeamus a P. Gallifet S. Rituum Congregationi oblata.[1])

Introit. Gaudeamus omnes in Domino diem festum celebrantes sub honore Sanctissimi et immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis, de cujus solemnitate gaudent Angeli et collaudant Filium Dei.

Psalm. Eructavit Cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. Gloria Patri. Gaudeamus omnes.

Oratio. Clementissime Deus, qui ad peccatorum salutem et miserorum perfugium Cor immaculatum Mariae divino Cordi Filii sui Jesu Christi, caritate et misericordia, simillimum esse voluisti: concede, ut qui hujus dulcissimi et amantissimi Cordis memoriam agimus, ejusdem meritis secundum Cor Jesu inveniri mereamur. Per eumdem.

Lectio Cantici Canticorum.

Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es! Oculi tui columbarum. Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te. Vulnerasti Cor meum, soror mea, sponsa; vulnerasti Cor meum, in uno oculorum tuorum, in uno crine colli tui. Ego dormio et Cor meum vigilat. Vox dilecti mei pulsantis: Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea. Surrexi ut aperirem dilecto meo. At ille declinaverat atque transierat. Adjuro vos, filiae Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo. Pone me ut signaculum super Cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio. Lampades ejus lampades ignis atque flammarum. Aquae multae non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina

1) A duobus Cardinalibus approbata. Vide supra p. 585.

Digitized by Google

obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

Grad. Ordinavit in me caritatem. Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo.

℣. En dilectus meus loquitur mihi: surge, amica mea, et veni: columba mea in foraminibus petrae, in caverna maceriae. Alleluja. Alleluja.

℣. Pone me ut signaculum super Cor tuum, ut signaculum super brachium tuum: quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio.

Post Septuages. Omissis Alleluja et versu sequenti dicitur:

Tractus. Tuam ipsius animam pertransibit gladius.

℣. O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus!

Magna est velut mare contritio mea: quis medebitur tui!

Temp. Paschali omittitur Graduale; ejus loco dicitur: Alleluja. Alleluja.

℣. Ego Mater pulchrae dilectionis et timoris, et agnitionis et sanctae spei. In me gratia omnis viae et veritatis: in me omnis spes vitae et virtutis. Alleluja.

℣. Ego diligentes me diligo: Deliciae meae esse cum filiis hominum: Ut ditem diligentes me, et thesauros eorum repleam. Alleluja.

Sequentia Sancti Evangelii secundum Lucam.
Cap. 2.

In illo tempore dixit Mater Jesu *ut supra pag. 895.* Credo.

Digitized by Google

Offertorium. En lectulum Salomonis. Reclinatorium aureum, media caritate constratum.

Secreta. Majestati tuae Domine, agnum immaculatum offerentes, quaesumus, ut corda nostra, ignis ille divinus inflammet, quo accensum Cor Mariae, eundem agnum Filium suum, tuumque Unigenitum, in ara crucis tibi obtulit. Qui tecum vivit et regnat.

Praefatio de B. M. V.

Et te in solemnitate Sanctissimi et immaculati Cordis Beatae Mariae.

Communio. Maria conservabat omnia verba haec, conferens in Corde suo.

Postcomm. Divinis refecti deliciis, oramus te, Domine Jesu, ut, qui dulcissimum et amantissimum Cor Mariae Matris tuae, doloris gladio transfigi voluisti, eodem gladio corda nostra penetrari jubeas, ejusdemque Virginei Cordis affectionibus repleri. Qui vivis.

In Missis Votivis.

Introit. Gaudeamus omnes in Domino, memoriam recolentes Sanctissimi et immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis, de cujus honore gaudent Angeli, et collaudant Filium Dei, etc.

Praefatio. Et te in veneratione Sanctissimi et immaculati Cordis Beatae Mariae.

D. Missa Omnis gloria.

(Ex Missali Gallicano.)

Introit. Omnis gloria, *ut supra p. 894.*

Oratio. Deus, qui beatae Mariae semper Virginis Cor sanctissimum spiritualibus gratiae donis cumulasti, et ad

Digitized by Google

imaginem divini Cordis Filii tui Jesu Christi caritate et misericordia plenum esse voluisti, concede, ut qui hujus dulcissimi Cordis memoriam agimus, fideli virtutum ipsius imitatione Christum in nobis exprimere valeamus, qui tecum vivit etc.

Lectio Cantici Canticorum. Cap. 8.

Pone me, *ut supra p. 895.*

Graduale. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.

℣. Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia. Alleluja, alleluja.

℣. Ordinavit in me caritatem: fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.

Sequentia.

Terra laetis sonet
Ubique vocibus.
Coelum nos admonet
Efferre laudibus
Cor sacrum Virginis.

Cor grande speculum
Omnipotentiae,
Cor tabernaculum
Coelestis gratiae,
Cor templum Numinis.

O quis tanti canat
Cordis altum decus?
Vix spiritus queat
Illud angelicus,
Ut decet pangere.

Digitized by Google

Gemmae nitidius
Candore niveo,
Solis splendidius
Ardore roseo
Debet effulgere.

Hujus castissima
Cordis integritas,
Hujus sanctissima
Cordis humilitas
Coelo Verbum rapit.

Cordis virginei
Attractum gloria,
Servi formam rei,
In tuo, Maria,
Sinu Verbum capit.

Proh! quam miris calet
Virgo fervoribus,
Divini quum latet
Amoris ignibus
Immersum Cor tuum.

Fontem laetitiae
Maria possidet,
Telo moestitiae
Laedi non accidet
Pectus innocuum?

Accidit, proh! scelus
Et dum Cor filio
Ensis haurit malus,
Doloris gladio
Cor ejus rumpitur.

Digitized by Google

Quis luctus intimi
Sensum possit dare!
Cordis tenerrimi
Dolor est ut mare,
Quod ventis tunditur.

Ah! surge protinus
E portis inferi,
Te, Christe, cominus
Victorem tartari
Laeta cernat parens.

Exspecta melius
Factum, Deipara:
En sede Filius
Surgit ab infera,
Omni damno carens.

O quale gaudium
Cor Virginis fovet!
Quantum incendium
Amoris commovet
Christi victoria!

Matris intus salit
Pectus impatiens;
Sequi natum velit,
Qui coelum gestiens
Intrat cum gloria.

Illum spectans face
Colliquescit sacra,
Donec blanda nece
Functum volet supra
Quidquid non est Deus.

Digitized by Google

Cor spes fidelium,
Cor beans sidera,
Fac ut mortalium
Incendat pectora
Fervor aethereus. Amen.

Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore: invenerunt puerum Jesum parentes ejus in templo, sedentem in medio Doctorum, audientem illos, et interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia et responsis ejus. Et videntes admirati sunt. Et dixit mater ejus ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te. Et ait ad illos: Quid est, quod me quaerebatis? Nesciebatis, quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum, quod locutus est ad eos. Et descendit cum eis et venit Nazareth: et erat subditus illis. Et mater ejus conservabat omnia verba haec in Corde suo.

Offertorium. Adjuro vos, filiae Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo.

Secreta. Deus, cujus majestati beatissima Virgo Maria immaculatam hostiam immaculata praesentavit, eum, qui in Corde ipsius ardebat, in nostris cordibus accende caritatis ignem, quo pariter mundati eamdem tibi hostiam offerre digni habeamur Dominum nostrum Jesum Christum, etc.

Praefatio. Et te in veneratione sanctissimi et immaculati Cordis beatae Mariae.

Communio. Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo.

Postcomm. Domine Jesu Christe, qui de virginalis uteri thalamo procedens in ejusdem intemeratae Virginis

Digitized by Google

Corde suaviter ac perpetuo quievisti, quaesumus, ut peractis corporis et sanguinis tui mysteriis, jugiter in cordibus nostris habitare digneris. Qui vivis.

E. Missa Proba me.

(Ex alio Missali Gallicano.)

Introit. Proba me, Deus, et scito cor meum, interroga me, et cognosce semitas meas, et vide, si via iniquitatis in me est.

Psalm. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum: cantabo et psallam in gloria mea. Gloria Patri. Proba me.

Oratio. Deus, qui gratiae plenitudinem posuisti in Corde Mariae, ut per ipsum quasi canalem abundanter in nos flueret, concede nobis corde contrito poenitentibus nostrorum veniam delictorum, et tanto Christi et Mariae matris ejus amore cor nostrum accende, ut eo toti inflammati secundum Cor tuum inveniri mereamur. Per eundem D. N. J. Ch.

Lectio libri Sapientiae.

Pone me, *ut supra p. 895.*

Graduale. Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.

℣. Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum. Alleluja. Alleluja.

℣. Exultabit cor meum in salutari tuo, cantabo Domino, qui bona tribuit mihi, et psallam nomini Domini altissimi. Alleluja.

Post Septuages. Omissis Alleluja cum ℣. dicitur:

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo, narrabo omnia mirabilia tua.

Digitized by Google

℣. Laetabor et exultabo in te, psallam nomini tuo, Altissime.

℣. Tibi dixit cor meum: requisivit te facies mea; faciem tuam, Domine, requiram.

Tempore Paschali omisso Graduali dicitur:

Alleluja, Alleluja. ℣. Probasti cor meum, et visitasti nocte; igne me examinasti, et non est inventa in me iniquitas. Alleluja.

℣. Propter hoc laetatum est cor meum, exultavit lingua mea: insuper et caro mea requiescet in spe. Alleluja.

Sequentia.

Laetabunda, *ut supra in Missa* Gaudeamus *p. 898.*

Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam.

In illo tempore: dixit mater Jesu, *ut supra p. 895.*

Offertorium. Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis.

Secreta. Corda nostra, Domine, Spiritus Sanctus perfecte possideat, qui sanctissimae Filii tui matris Cor maximo caritatis inflammavit ardore, ut majestati tuae mundo corde servientes, faciem tuam videre in aeternum mereamur. Per eundem D. N. J. Ch.

Praefatio. Et te in festivitate Cordis B. Mariae.

Communio. Defecit caro mea et cor meum, Deus cordis mei, et pars mea, Deus in aeternum.

Postcommunio. Accende, quaesumus, Domine, corda nostra igne caritatis tuae, et per merita Cordis Mariae, cujus solemnia celebramus, concede, ut te tota mente amemus, et ad te toto corde curramus. Per D. N. J. Ch.

Digitized by Google

F. Missa Concupivit *in festo vitae interioris B. M. V.*[1])

Introit. Concupivit Dominus decorem Mariae, quoniam ipse est Dominus Deus ejus; et illa erit sedes Dei in saeculum saeculi, virga directionis, virga regni illius.

Psalm. Omnis gloria ejus filiae Regis ab intus: in fimbriis aureis circumamicta varietatibus. Gloria Patri. Concupivit.

Oratio. Deus, qui beatissimam Virginem Mariam supra omnes creaturas Interiorum Christi participem et imaginem perfectissimam esse tribuisti: concede nobis, quaesumus, sic Interiora Mariae venerari, ut per ipsam Christo conformes fieri, ei per ipsum in teipso in unum consummari mereamur. Per eumdem Dominum.

Lectio libri Sapientiae. Cant. 2.

Ego flos campi *vv. 1—14.*

Graduale. Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuae.

℣. Juravit Dominus Mariae veritatem, et non frustrabitur eam: de fructu ventris tui ponam super sedem meam. Haec requies ejus in saeculum saeculi, hic habitabit, quoniam elegit eam. Alleluja.

℣. Inimicos ejus induet confusione: super ipsam autem efflorebit sanctificatio ejus.

Sequentia.

Tota Regis Filiae,
Opus plenae gratiae,
Est ab intus claritas.

---

1) Ex Proprio Seminarii Sancti-Sulpitii, die 19. Oct.

Digitized by Google

Vincit Matris titulos,
Virginisque flosculos
Puri Cordis caritas.

Regnat hic mundities,
Non turbanda requies,
Lux absque nubecula.

Quaqua parte quaerites,
Quod momentum pensites,
Non est ulla macula.

Nondum sinu clauditur,
In amantis geritur
Deus Corde melius.

Ante plenam gratia,
Quot donorum copia
Implet Matrem Filius!

Sibi vilis anima,
Humilis, magnanima,
Oculis placet Dei.

Credit, et intelligit,
Sperat et jam colligit
Firmae fructus fidei.

Ut ad laetum nuntium,
Sic ad tristem gladium
Subdit se nil regerens.

Domum mortis exuit,
Immortalem induit,
Vim amoris non ferens.

Digitized by Google

Non jam languens deficis;
Ferves flammis coelicis;
Quod ardebas, obtines.

Amas tanto plenius,
Quanto cunctis celsius
Una superemines.

Fac his, quibus ureris,
Tota nec consumeris,
Ardeamus ignibus.

Mater o viventium,
Tuum nostris Filium
Vivere fac cordibus.
Amen. Alleluja.

Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Cap. 1.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David; et nomen Virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave, gratia plena; Dominus tecum; Benedicta tu in mulieribus. Quae quum audisset, turbata est in sermone ejus, et cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas, Maria; invenisti enim gratiam apud Deum: Ecce concipies in utero, et paries Filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus; et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obum-

Digitized by Google

brabit tibi. Ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua et ipsa concepit filium in senectute sua: et hic mensis sextus est illi quae vocatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

Credo.

Offertorium. Domum Dei decet sanctitudo: sponsum ejus Christum habitantem in ea adoremus. Alleluja.

Secreta. Corda nostra, Domine, Spiritus sanctus perfecte possideat: qui sanctissimae Filii tui Matris Cor vulnerando, tanto caritatis inflammavit ardore, ut, sicut in illa ad nutum semper operatus est, sic in nobis carnem nostram cum vitiis et concupiscentiis crucifigendo, in sanctitate sua operari dignetur. Per eumdem Dominum . . . in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus per omnia.

Praefatio. Et te in Vita interiori Beatae Mariae.

Communio. Locus iste sanctus est, in quo orat sacerdos pro delictis et peccatis populi. Alleluja.

Postcomm. Quiescat in nobis, Domine, Filius tuus, et sibi bene complaceat; ut qui per Virginem Mariam, in qua perfecte quievit, sibique bene complacuit, illum nostrum esse voluisti: sic per eam in eodem Filio tuo, tui semper et ubique esse mereamur. Per eumdem Dominum nostrum.

§ II.

Ex Breviario.

A. Officium Breviarii Romani.

AD I. VESPERAS.

Antiph. et Cap. de Laudibus. Psalmi ut in Officio parvo. Hymnus: Ave Maris Stella.

Digitized by Google

℣. Exulta in omni Corde, filia Jerusalem:

℟. Rex Israel Dominus in medio tui.

Ad Magnif. Ant. Exultavit Cor meum in Domino, et exaltatum est cornu meum in Deo meo, quia laetata sum in salutari tuo.

Oratio *ut ad Laudes.*

AD MATUTINUM.

Invitat. Ave Maria gratia plena: Dominus tecum.

Psalm. Venite, exultemus Domino.

Hymnus. Quem terra, pontus, sidera.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.

Psalmi ut in Officio parvo B. Mariae.

Ant. Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo.

Ant. Quia respexit humilitatem ancillae suae; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

℣. Anima mea liquefacta est:

℟. Ut locutus est dilectus.

Lectio 1.

De Canticis Canticorum.

Cap. 4.

Quam pulchra es, amica mea; quam pulchra es! oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. Sicut vitta coccinea labia tua; et eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici, ita genae tuae, absque eo quod intrinsecus latet. Sicut turris David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa;

Digitized by Google

vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, in uno crine colli tui. Favus distillans labia tua, sponsa; mel et lac sub lingua tua. Hortus conclusus, fons signatus. Tu autem.

℟. Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua: laetetur cor meum. * Ut timeat nomen tuum.

℣. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum. Ut timeat.

Lectio 2. Cap. 5.

Veni in hortum meum, soror mea, sponsa; messui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi favum cum melle meo. Vox dilecti mei pulsantis: aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium. Surrexi, ut aperirem dilecto meo, manus meae stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima. Aperui dilecto meo, at ille declinaverat atque transierat. Anima mea liquefacta est, ut locutus est. Tu autem.

℟. In Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo: Deus Dominus fortitudo mea. * Super excelsa deducet me.

℣. Laeva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me. Super.

Lectio 3. Cap. 5 et 6.

Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum: qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adjurasti nos? Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus, totus desiderabilis. Talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus, filiae Jerusalem. Quo abiit dilectus tuus o pulcherrima mulierum? Quo declinavit dilectus tuus? et quaeremus eum tecum. Pulchra es amica mea, suavis et decora sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.

Digitized by Google

Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suae, electa genitrici suae. Viderunt eam filiae, et beatissimam praedicaverunt, et Reginae laudaverunt eam. Tu autem.

℟. Inveni gratiam apud oculos tuos, Domine mi. * Qui consolatus es me, et locutus es ad Cor ancillae tuae.

℣. In toto corde meo exquisivi te, ne repellas me a mandatis tuis. Qui consolatus. Gloria Patri. Qui consolatus.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Beata, quae credidisti, quoniam perficientur ea, quae dicta sunt tibi a Domino.

Ant. Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus.

Ant. Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.

℣. Fortis est ut mors dilectio:

℟. Dura sicut infernus aemulatio.

Lectiones II. Nocturni.

V. supra pp. 528 seqq.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Unde hoc mihi, ut veniat mater Domini mei ad me?

Ant. Misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum.

Ant. Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiae suae.

℣. Ego dilecto meo:

℟. Et ad me conversio ejus.

Digitized by Google

Lectio 7.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Cap. 2.

In illo tempore: dixit mater Jesu ad illum: Fili! quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te. Et reliqua.

De Homilia Ven. Bedae, Presbyteri.

(In Homil. Hyem. de temp. Dom. I. post Epiph.)

Mater ejus, inquit Evangelista, conservabat omnia verba haec in Corde suo. Omnia quae de Domino vel a Domino dicta, sive acta cognoverat mater Virgo, diligentius in Corde retinebat, sollicite cuncta memoriae commendabat, ut quum demum tempus praedicandae, sive scribendae incarnationis ejus adveniret, sufficienter universa, prout essent gesta, posset explicare quaerentibus. Imitemur et nos, Fratres mei, piam Domini matrem, ipsi quoque omnia verba et facta Domini ac Salvatoris nostri fixa in corde conservando. Tu autem.

℟. Aquae multae non potuerunt extinguere caritatem: * Neque flumina obruent eam.

℣. Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Neque.

Lectio 8.

Horum Domini verborum et actorum meditatione diurna et nocturna importunos inanium nocentiumque cogitationum repellamus incursus: horum crebra collatione et nos et proximos nostros a fabulis supervacuis, et male dulcoratis detractionum colloquiis castigare, atque ad divinae frequentiam laudis accendere curemus. * Si enim, fratres carissimi, in futuri beatitudine saeculi habitare in domo Domini, ac per-

Digitized by Google

petuo illum laudare desideramus, oportet nimirum et in hoc saeculo, quod in futuro quaeramus, sollicite praemonstremus: frequentando videlicet Ecclesiae limina, et non solum in ea laudes Domini canendo, sed et in omni loco dominationis ejus ea, quae ad laudem gloriamque conditoris nostri proficiant, verbis pariter ac factis ostendendo. Tu autem.

℣. Spiritus meus super mel dulcis et haereditas mea super mel et favum. Qui audit me non confundetur. * Et qui operantur in me non peccabunt.

℣. Qui elucidant me vitam aeternam habebunt. Et qui. Gloria Patri. Et qui.

Lectio 9.

De Homilia Dominicae occurrentis; sed si extra Dominicam agi de hoc Festo contingat, tunc Lectio 9. incipiet ab asterisco posito supra Lectione 8.

Te Deum.

AD LAUDES ET PER HORAS.

1. *Ant.* Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.

Psalm. Dominus regnavit *cum reliquis.*

2. Dilectus meus loquitur mihi: surge, propera, amica mea.

3. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.

4. Adjuro vos, filiae Jerusalem, ne suscitetis dilectam, quoadusque ipsa velit.

5. Ego dormio, et cor meum vigilat.

Capitulum. Cant. C. 8.

Pone me ut signaculum super Cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio,

Digitized by Google

dura sicut infernus aemulatio. Lampades ejus lampades ignis atque flammarum.

Hymnus. O gloriosa Virginum.

℣. Qui me invenerit, inveniet vitam.

℟. Et hauriet salutem a Domino.

Ad Benedict. Ant. Extollens vocem quaedam mulier de turba dixit illi: beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti.

Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui in Corde beatae Mariae Virginis dignum Spiritus sancti habitaculum praeparasti, concede propitius, ut ejusdem purissimi Cordis festivitatem devota mente recolentes, secundum Cor tuum vivere valeamus. Per Dominum.

AD PRIMAM.

In ℟. *br. dicitur:*

℣. Qui natus es de Maria Virgine.

AD TERTIAM.

Ant. Dilectus meus.

Cap. Pone me ut signaculum.

℟. *br.* Anima mea. * Liquefacta est. Anima.

℣. Ut locutus est dilectus. Liquefacta est. Gloria Patri. Anima mea.

℣. Fortis est ut mors dilectio.

℣. Dura sicut infernus aemulatio.

AD SEXTAM.

Ant. Fulcite.

Cap. Eccli. 24.

Ego ex ore Altissimi prodivi, primogenita ante omnem creaturam; ego feci in coelis, ut oriretur lumen indeficiens, et sicut nebula texi omnem terram.

Digitized by Google

℟. *br.* Fortis est. * Ut mors dilectio. Fortis.

℣. Dura sicut infernus aemulatio. Ut mors. Gloria Patri. Fortis est.

℣. Ego dilecto meo.

℟. Et ad me conversio ejus.

AD NONAM.

Ant. Ego dormio.

Cap. Eccli. 24.

In omni terra steti, et in omni populo, et in omnibus requiem quaesivi, et in haereditate Domini morabor.

℟. *br.* Ego. * Dilecto meo. Ego.

℣. Ed ad me conversio ejus. Dilecto meo. Gloria Patri. Ego dilecto meo.

℣. Qui me invenerit, inveniet vitam.

℟. Et hauriet salutem a Domino.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis.

℣. Viam mandatorum tuorum cucurri.

℟. Quum dilatasti Cor meum.

Ad Magnificat. Ant. Exultavit Cor meum in Deo salutari meo: quia fecit mihi magna qui potens est.

B. Ex Propr. Congregat. Jesu et Mariae, alias Eudistarum.[1])

Die 8. Febr. *Fest. Sanctissimi Cordis B. M. V. Dupl. I. Cl. cum Octava.*

IN I. VESPERIS.

Psalmi ut in festis B. M. V.

Ant. O admirabile et omni laude dignissimum Cor

1) Vide sup. pp. 469 seqq.

Digitized by Google

Mariae Virginis, in quo Deus Pater regnum dilectionis suae constituit. Alleluja.

Ant. Elegit Mariam Unigenitus Patris ab aeterno, et praeelegit eam, ut dignum sibi in Corde ejus praepararet habitaculum. Alleluja.

Ant. Beatum Cor Dei Genitricis Mariae, sacrarium Spiritus sancti, in quo inhabitat plenitudo caritatis. Alleluja.

Ant. Corde magno et animo volenti Christo canamus gloriam in hac sacra solemnitate Sanctissimi Cordis praecelsae Genitricis ejus Mariae. Alleluja.

Ant. Cum jucunditate laudes beatissimi Cordis Virginis Mariae celebremus, ut, ipsa pro nobis intercedente, secundum Cor Filii ejus effici mereamur. Alleluja.

Capitulum. Cant. 8.

Pone me ut signaculum, *ut supra p. 919.*

Hymnus.

Jesu, Mariae gloria,
Praeclara Cordis Virginis
Cor intonat praeconia,
Nostris adesto canticis.

Miranda Matris viscera,
Miranda sunt et ubera;
Regale sed Cor omnibus
Miraculis praestantius.

Quem sacra, paucis mensibus,
Portavit alvus parvulum,
Hunc Cor, prius, sacratius,
Semperque gestat maximum.

Digitized by Google

Cor, aula regum principis,
Coelumque coeli splendidum,
Templum superni praesulis,
Altare pacis aureum.

Arca quid ista sanctius?
Thesaurus orbis, omnia
Collata nobis coelitus
Servans Dei mysteria.

Ave, Cor admirabile,
Amore Jesu flammeum,
Te sentiant amabile
Qui te colunt, rex cordium.

Pars nostra, spes et gaudium,
Coetusque nostri gloria,
Amor perennis omnium
Jungat tibi praecordia.

Amor Deus, Cor Numinis,
Cor esto mentis unicum;
Amor regens Cor Virginis,
Dux solus esto supplicum.

O sacrosancta Trinitas,
Aeterna vita cordium,
Cordis Mariae sanctitas,
In corde regnes omnium. Amen.

℣. Paratum Cor meum, Deus, paratum Cor meum.
℟. Ut faciam omnes voluntates tuas.

Ad Magnif. Ant. O mater amabilis, beatam te dicent omnes generationes: quia respexit Deus humilitatem Cordis tui, et invenit te secundum Cor suum. Alleluja.

Digitized by Google

Oratio, ut infra ad Laudes.

Ad Completorium et per horas, in fine Hymnorum dicitur:

O sacrosancta Trinitas,
Aeterna vita Cordium,
Cordis Mariae sanctitas,
In corde regnes omnium.

AD OFFICIUM NOCT.

Invit. Jesum in Corde Mariae regnantem, venite adoremus: Qui est amor et vita nostra.

Hymnus.

Quem Cor supremi Numinis
Effundit orbi Filium,
Effundit et Cor Virginis,
Imago regis cordium.

Cor, sanctitatis formula,
Cordis fidelis regula,
Dignum Dei sacrarium,
Cubile Jesu floridum.

Te candidata lilia,
Nardus, rosaeque fulciunt,
Te mala coeli dulcia
Amore languens ambiunt.

Cor Matris Agni melleum,
Amoris igne torridum,
Te corda nostra diligant,
Tuos amores exprimant.

Digitized by Google

Sidus micans amantium,
Sol esto, duxque mentibus,
Fornax amoris, omnium
Accende flammas cordibus.

Redempta Christi gratia
Fac corda Christo vivere,
Calcare mundi somnia,
Se tota Jesu tradere.

Fac nos dolosi frangere
Fraudes malignas tartari,
Vita tua convivere,
Amore Christi commori.

Amor, sacri fons nectaris,
Mentes replens inebria,
Cordis sagitta Virginis,
Transfige cordis intima.

O sacrosancta Trinitas,
Aeterna vita cordium,
Cordis Mariae sanctitas,
In corde regnes omnium. Amen.

Psalmi de Officio parvo B. M. V.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Maria Cor suum tradidit ad vigilandum diluculo ad Dominum qui fecit eam: et in conspectu Altissimi deprecata est, et ipse tribuit ei secundum Cor ejus.

Ant. Praeparavit Cor suum Domino, et dilexit illum solum corde perfecto; et ipse liberavit eam ab omnibus inimicis ejus.

Digitized by Google

Ant. Omni custodia servavit Cor suum, ideo delectata est in Domino, et dedit illi petitiones Cordis ejus.

℣. Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.

℟. Ut faciam omnes voluntates tuas.

Lectio 1.

De Canticis Canticorum.

Cap. 4.

Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es! Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni. Coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus Pardorum. Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa; vulnerasti cor meum, in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui.

℟. Beata es, Virgo Maria, et beatissimum Cor tuum, thronus omnium virtutum, templum sanctae Trinitatis, fornax divini amoris. * Sola sine exemplo dilexisti Dominum nostrum Jesum Christum, ex toto Corde tuo.

℣. Ipse Pater amat te, quia tu amasti Filium ejus unicum. * Sola.

Lectio 2.

Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructum pomorum suorum. Veni in hortum meum, soror mea, sponsa; messui myrrham meam, cum aromatibus meis: comedi favum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo: comedite, amici, et bibite, et inebriamini, carissimi. Ego dormio, et cor meum vigilat: vox dilecti mei pulsantis: aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium.

Digitized by Google

℟. Felix es, sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima, quia Christum per fidem et dilectionem in Corde tuo formasti. * Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus Cordis tui Jesus.

℣. Hic est Deus cordis mei, et pars mea in aeternum. * Benedicta.

Lectio 3. Cap. 8.

Quae est ista quae ascendit de deserto, deliciis affluens, innixa super dilectum suum? Pone me ut signaculum super Cor tuum, ut signaculum super brachium tuum, quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio: lampades ejus lampades ignis atque flammarum. Aquae multae non potuerunt extinguere caritatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.

℟. Vide speciosam sicut columbam, et circumdabant cor ejus flores rosarum et lilia convallium: ipsa autem voce magna clamabat: * Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.

℣. Flores tui fructus honoris et honestatis. * Fulcite. Gloria Patri. * Fulcite.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Omnis gloria filiae regis ab intus. De bono thesauro Cordis ejus proferuntur omnia bona.

Ant. Veni, dilecta Cordis mei, et praebe mihi Cor tuum, et ponam in eo thronum meum, et regnum filii dilectionis meae.

Ant. Corfirmatum est Cor Virginis, in quo divina mysteria, Angelo nuntiante, concepit.

℣. Desiderium Cordis Mariae audivit Dominus.

℟. Praeparationem Cordis ipsius audivit auris ejus.

Digitized by Google

Lectio 4.

Sermo sancti Bernardini Senensis. [1])

(Ex Serm. 9. de Visitatione.)

Quis mortalium, nisi divino tutus vel fretus oraculo, de vera Dei et hominis Genitrice quidquam modicum, vel grande praesumat incircumcisis, imo pollutis labiis dicere, quam Pater ante saecula Deus in perpetuam et dignissimam Virginem praedestinavit, Filius elegit in Matrem, Spiritus sanctus omnis gratiae domicilium praeparavit? Quibus verbis ego homunculus sensus altissimos Virginei Cordis sanctissimo ore prolatos efferam, quibus non sufficit lingua omnium hominum et etiam Angelorum? Dominus enim ait: Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona. Quis autem inter puros homines melior potest excogitari, quam illa quae meruit effici Mater Dei, quae in Corde et in utero suo ipsum Deum hospitata est? Quis thesaurus melior, quam ipse divinus amor, quo fornaceum Cor Virginis ardens erat?

℟. In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam; Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei. * Paratum cor meum, Deus cordis mei, paratum cor meum.

℣. Vocaberis voluntas mea in corde tuo. * Paratum.

Lectio 5.

De hoc igitur Corde, quasi de fornace divini ardoris Virgo beata protulit verba bona, id est, verba ardentissimae caritatis. Sicut enim a vase, summo et optimo vino pleno, non potest exire nisi optimum vinum: aut sicut et a fornace summi ardoris non egreditur, nisi incendium fervens: sic de

1) Vide sup. p. 528.

Digitized by Google

Corde Matris Christi exire non potuit verbum, nisi summi, summeque divini amoris, atque ardoris. Sapientis dominae atque matronae est, pauca verba, solida tamen atque sententiosa, habere. Proinde septem vicibus, quasi septem verba tantum mirae sententiae et virtutis a Christi benedictissima Matre leguntur dicta, ut mystice ostendatur ipsam fuisse plenam gratia septiformi. Cum Angelo bis tantummodo locuta est: Quomodo fiet istud? et: Ecce ancilla Domini. Cum Elisabeth bis etiam, scilicet illam salutando, et Deum laudando, quum ait: Magnificat anima mea Dominum. Cum Filio etiam bis, semel in templo: Fili, quid fecisti nobis sic? et in nuptiis: Vinum non habent. Cum ministris semel: Quodcumque dixerit vobis, facite. Et in his omnibus semper valde parum locuta est: excepto quod in laude Dei, et gratiarum actione se amplius dilatavit, scilicet quum ait: Magnificat anima mea Dominum: ubi non cum homine, sed cum Deo locuta fuit.

℟. Magnificate Deum Patrem mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum, quia dedit mihi Cor suum, Filium ejus unicum: * Hic est Filius meus dilectus, et Cor meum amantissimum.

℣. Magnificent Deum Patrem omnes generationes, et exaltent sanctissimum Cor tuum Jesum, Filium ejus unicum. * Hic est.

Lectio 6.

Haec septem verba, secundum septem amoris processus et actus, sub miro gradu et ordine prolata, sunt quasi septem flammae fornacei Cordis ejus. Quae verba considerans atque ruminans mens devota cum ipso propheta ait: Quam dulcia faucibus meis, id est, omnibus affectionibus, eloquia tua. Porro dulcedo haec, quam in verbis beatae Virginis

Digitized by Google

devota mens sentit, est ardor piae devotionis, quam in eis anima experimentaliter probat. Dicat igitur mens devota: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! Distinguamus vero per ordinem has septem flammas amoris verborum Virginis benedictae. Prima est flamma amoris separantis: secunda, amoris transformantis: tertia, amoris communicantis: quarta, amoris jubilantis: quinta, amoris saporantis: sexta, amoris compatientis: septima, amoris consummantis.

℟. Corde et animo Christo canamus gloriam, qui Cor suum dedit sanctissimae Matri suae, et Spiritum suum posuit in medio ejus: ut sint * Cor unum, et anima una.

℣. Benedictum sit in aeternum et ultra Cor sanctissimum Jesu et Mariae. * Cor unum. Gloria Patri. * Cor unum.

IN III. NOCTURNO.

Ant. Ego dormio, et Cor meum vigilat, et meditatio Cordis mei in conspectu Dei semper.

Ant. Beata es, Maria, quae Dominum portasti, creatorem mundi: sed beatissima, quia prius et felicius portasti eum Corde quam ventre.

Ant. Ego Mater pulchrae dilectionis, et agnitionis, et sanctae spei: ego diligentes me diligo.

℣. Omnis spiritus laudet Dominum.

℟. In Corde regnantem Mariae.

Lectio 7.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Cap. 2.

In illo tempore: Pastores loquebantur ad invicem: transeamus usque Bethleem, et videamus hoc verbum quod factum est, quod fecit Dominus, et ostendit nobis. Et reliqua.

Digitized by Google

Homilia sancti Bonaventurae Episcopi.

(De Expositione in 2. Caput Lucae.)

Hic commendatur pastorum diligentia, a certitudine inventionis, cujus laus ex tribus colligitur: scilicet quia fuit certissime comprobata, celeriter divulgata, et studiose conservata. Primo quidem fuit certissime comprobata, quia per probabilia signa et evidentia, propter quod dicitur: Et invenerunt Mariam et Joseph, et infantem positum in praesepio. Ideo invenerunt quia sollicite quaesierunt, et absque fictione. Et nota quod invenitur cum Maria Virgine, et Joseph viro justo, et in praesepio; quia eum, qui vult Christum invenire, oportet habere munditiam cordis respectu sui, justitiam respectu proximi, humilitatem et reverentiam respectu Dei. Non solum fuit certissime comprobata, sed et celeriter divulgata; propterea subditur: et omnes qui audierunt mirati sunt, scilicet de parvulo nato, et de his quae dicta erant a pastoribus ad ipsos, quae scilicet audierant ab Angelo.

℟. Audite, filii, et scitote, quia vos estis in Corde meo, ad convivendum et ad commoriendum. Discite ergo a me, quia mitis sum, et humilis corde: * Et invenietis requiem animabus vestris.

℣. Ponite hoc in cordibus vestris, et omnia vestra in humilitate, et caritate fiant. * Et invenietis.

Lectio 8. Ib. paulo post.

Fuit tertio studiose conservata, unde subditur: Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in Corde suo, tanquam prudens et discreta, secundum illud: Misericordia et veritas te non deserant. Circumda eas gutturi tuo

Digitized by Google

et describe in tabulis cordis tui. Et in Ecclesiastico: Qui ponit illa in corde suo, sapiens erit semper. Unde dicitur de fatuo: cor fatui quasi vas confractum, et omnem sapientiam non tenebit. Unde Cor Virginis fuit arca continens divinorum eloquiorum arcana. Et ideo per arcam Moysis designatur, de qua dicitur, quod continebat tabulas legis divinae. Et quia non solum conservabat, sed etiam intelligebat, ideo additur: Conferens ea in Corde suo, ita ut posset dicere illud: In Corde meo abscondi eloquia tua.

℟. Omnis spiritus laudet te, Domine, et omnes virtutes tuae benedicant tibi: * Quia regnum pulchrae dilectionis, et thronum gloriae majestatis tuae in Corde Mariae posuisti in aeternum.

℣. Tibi laus, tibi honor, tibi gloria, o beata Trinitas. * Quia. Gloria. * Quia.

Lectio 9. Ib. paulo post.

Et descendit cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis. Et mater ejus conservabat omnia verba haec in Corde suo. Hic describitur ejus clarificatio, et hoc per duo, scilicet per matris testimonium, et per propriae virtutis indicium. Quantum ad matris testimonium dicitur: Et mater ejus conservabat omnia verba haec in Corde suo, ut pro loco et tempore testimonium perhiberet. Sic dictum est: Tu autem Daniel, claude sermones, et signa librum usque ad tempus statutum. Et quia hoc intelligebat, ideo dicitur: In Corde suo, secundum illud: Tempus ad responsionem cor sapientis intelligit; et dicitur de Transfiguratione Domini, quod discipuli verbum continuerunt apud se.

Te Deum.

Digitized by Google

AD LAUDES ET PER HORAS.

(Psalmi de Dominica.)

Ant. O beatum Cor Mariae Virginis, arca sanctitatis, in qua sunt omnes thesauri gratiae et caritatis absconditi! Alleluja.

Ant. Invenit Deus Mariam secundum Cor suum: quae enim placita sunt ei, fecit semper Corde magno et animo volenti. Alleluja.

Ant. Beata es, Maria, quae Deum amasti in toto Corde tuo, et fecisti omnes voluntates ejus Corde magno et animo volenti. Alleluja.

Ant. Benedictum Cor tuum, o Maria! fons vivus benedictionis, abyssus gratiae, fornax amoris, thronus divinae voluntatis. Alleluja.

Ant. Gratia, pax et gaudium omnibus cordibus, quae diligunt Cor amantissimum Jesu et Mariae. Alleluja.

Capitulum. Cant. 8.

Pone me, *ut supra.*

Hymnus.

Quid Corde Matris Virginis
Coli potest sacratius?
Cordi supremi Numinis
Quid Corde tanto gratius?

Amoris est miraculum,
Triumphus almi Spiritus,
Dignum Deo spectaculum,
Jucunda spes mortalibus.

Digitized by Google

Levamen est lugentibus,
Zelator ardens mentium,
Cunctis datum fidelibus,
Cor, vita, lux, oraculum.

O qualis haec benignitas!
Nostrum sibi cor abstulit
Matris Patrisque caritas,
Suumque nobis contulit.

Vos sacra proles pectoris
Sic vos amantum, noscite
Tantae decus propaginis,
Et corda Cordi tradite.

Res mira! mortis spurios
Dant Cordis esse filios:
Tantos favores pendite,
Vices amoris reddite.

Cordis Patris mirabilem
In corde vitam pingite,
Cordisque Matris nobilem
In mente formam sculpite.

O Cor, Dei triclinium,
O exili solatium,
Immensa sunt magnalia,
Immensa sunt praeconia.

O sacrosancta Trinitas,
Aeterna vita cordium,
Cordis Mariae sanctitas,
In corde regnes omnium. Amen.

Digitized by Google

℣. Vivet Cor Mariae, et laetabitur in Domino.

℟. Et amabit eum in saeculum saeculi.

Ad Bened. Ant. O Mater admirabilis, magnificent te omnes gentes: et benedicant fidelissimum Cor tuum in aeternum omnes populi. Alleluja.

Oratio. Deus, qui Unigenitum tuum tecum ab aeterno viventem, in Corde Virginis Matris vivere et regnare voluisti: da nobis, quaesumus, hanc sanctissimam Jesu et Mariae in Corde uno vitam jugiter celebrare, cor unum inter nos et cum ipsis habere, tuamque in omnibus voluntatem corde magno, et animo volenti adimplere, ut secundum Cor tuum a te inveniri mereamur. Per eumdem Dominum, etc.

AD PRIMAM.

Ant. O beatum.

In ℟. *br.* ℣. Qui natus es de Maria Virgine.

AD TERTIAM.

Ant. Invenit Deus.

Capitulum. Cant. 8.

Pone me, *ut supra.*

℟. *br.* Paratum Cor meum Deus, * Paratum Cor meum. Paratum.

℣. Ut faciam omnes voluntates tuas. * Paratum. Gloria Patri. Paratum.

℣. Desiderium Cordis Mariae audivit Dominus.

℟. Praeparationem Cordis ipsius audivit auris ejus.

Digitized by Google

AD SEXTAM.

Ant. Beata es, Maria.

Capitulum. Luc. 2.

Omnes qui audierunt mirati sunt, et de his quae dicta erant a pastoribus ad ipsos: Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in Corde suo.

℟. *br.* Desiderium Cordis Mariae * Audivit Dominus. Desiderium.

℣. Praeparationem Cordis ipsius audivit auris ejus. Audivit. Gloria Patri. Desiderium.

℣. Omnis spiritus laudet Dominum.

℟. In Corde regnantem Mariae.

AD NONAM.

Ant. Gratia, pax.

Capitulum. Luc. 2.

Et descendit cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis. Et Mater ejus conservabat omnia verba haec in Corde suo.

℟. *br.* Omnis spiritus * laudet Dominum. Omnis spiritus.

℣. In Corde regnantem Mariae. Laudet Dominum. Gloria Patri. Omnis spiritus.

℣. Vivet Cor Mariae et laetabitur in Domino.

℟. Et amabit eum in saeculum saeculi.

AD II. VESPERAS.

Psalmi ut in 1. Vesp.

Digitized by Google

Ant. O admirabile et venerandum Cor Mariae Virginis, in quo omnis fons et plenitudo caritatis, Christus Jesus inhabitat, vivit et regnat in aeternum. Alleluja.

Ant. O verum altare holocausti, in quo ignis divinus semper accenditur, et sacrificium laudis et amoris Deo jugiter immolatur. Alleluja.

Ant. Christus Jesus, hostia sancta, semel in ara crucis, multoties in altari Cordis Virginis aeterno Patri oblatus est. Alleluja.

Ant. Beatum Cor tuum, o Maria! speculum clarissimum vitae Christi, et imago perfecta passionis et mortis ejus. Alleluja.

Ant. Audite, filii, et ponite hoc in cordibus vestris, ut discatis a me, quia mitis sum et humilis Corde. Alleluja.

Capitulum. Cant. 8.

Pone me, *ut supra.*

Hymnus.

Quem turma coeli personat
In Corde natum Numinis,
Hunc totus orbis concinat,
In Corde regem Virginis.

Hoc Corde quid sublimius?
Abyssus alta gratiae,
Currus triumphans igneus,
Thronusque regis gloriae.

Thesaurus est charismatum,
Astris jubar fulgentius;
Coeli decus, sol, gaudium,
Coelumque coelis altius.

Digitized by Google

Summi Patris signaculum,
Vitae Dei compendium,
Sedes tonantis ignea,
Turris salutis flammea.

Omnes genua flectunt, dum cantantur duae strophae sequentes:

Nos ergo tantae Virginis,
Cordisque tam mirabilis,
Colamus omnes regia
Flexo genu magnalia.

Eia, Parens, cor supplicum
Intra pium serva sinum;
Amore Nati langueat,
Amore Matris ferveat.

O Virgo, raptrix cordium,
Da Cor tuum colentium
Sursum rapi praecordia,
Ubi suprema gaudia.

O fac amanda cordium,
Flammis sacris nos devora;
Fac ut crementur omnium
Amore Jesu pectora.

O sacrosancta Trinitas,
Aeterna vita cordium,
Cordis Mariae sanctitas,
In corde regnes omnium. Amen.

℣. Vivet Cor Mariae, et laetabitur in Domino.

℟. Et amabit eum in saeculum saeculi.

Digitized by Google

Ad Magnif. Ant. Exultet Cor tuum, o Maria, in Deo salutari suo: quia fecit ei magna qui potens est. Alleluja.

Oremus. Deus, qui Unigenitum.

In fine antiphonarum non dicitur Alleluja, *nisi ante Septuagesimam sive in festo, sive per octavam.*

C. *Officium SS. Cordis B. V. M. a P. Gallifet S. R. Congregationi oblatum.*[1])

AD I. VESPERAS.

Antiph. et Cap. de Laudibus. Psalmi de B. M. V.

Hymnus.

Reginae superum Cordis amabiles
Quis det divitias cernere? quis sacros
Ignes, virgineo pectore conditos,
Scrutari penitus dabit?

Tu, Regina, potes sola clientibus
Optatos aditus pandere: tu potes
Acceptos gremio ducere filios
Sub Cordis penetralia.

Quae me deliciae, quis novus abripit
Ardor! Cerno animo Cor venerabile.
Hic exultat amor; prosilit hinc pia
Largo flumine sanctitas.

Hinc sincera fides, et fidei soror
Spes illapsa piis mentibus, et pudor,
Et castus timor, et fervida caritas
Puram hinc traxit originem.

1) Vide sup. p. 585.

Digitized by Google

Coelestes igitur, quisquis in intimum,
Thesauros animum condere gestiet.
Cordis, Virgo, tui sub latebras eat,
Justis praesidium et reis.

Laudo, summe parens, artificem manum,
Cordi Virgineo quae decus addidit.
Quem Virgo genuit — gloria Filio,
Sponso gloria flamini. Amen.

℣. Vulnerasti Cor meum, soror mea, sponsa, vulnerasti Cor meum.

℟. In uno oculorum tuorum, in uno crine colli tui.

AD MAGNIFICAT.

Ad Magnif. Ant. Deliciae meae esse cum filiis hominum. Beati qui custodiunt vias meas.

Oratio ut ad Laudes.

AD MATUTINUM.

Invitat. Cor immaculatum Virginis Mariae celebremus: Christum ejus Filium adoremus Dominum.

Psalm. Venite.

Hymnus.

Quid Corde Matris Virginis
Cani potest suavius?
Quid Corde Matris Numinis
Coli potest augustius?

Quam sancta Matris viscera!
Quam sancta sunt et ubera!
Regale sed Cor omnibus
Miraculis praestantius.

Digitized by Google

Cor labis expers patriae,
Cor labis expers propriae,
Fons puritatis integrae,
Omnisque sedes gratiae.

Tu sanctitatis formula:
Vitae Dei compendium:
Cordis fidelis regula:
Cubile Jesu floridum.

Te candidata lilia,
Nardus, rosaeque fulciunt:
Te mala caeli dulcia
Amore languens ambiunt.

Ave Cor admirabile!
Thesaurus orbis, omnia
Collata nobis coelitus
Servans Dei mysteria.

O caritatis victima!
Quam plaga amoris abstulit:
Tu nostra sacro vulnere
Fac corda semper langueant.

Pér Cor Matris purissimum,
Jesu tibi sit gloria.
Cum Patre et almo spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Pone me ut signaculum super Cor tuum.

Psalmi ut in officio parvo B. Mariae Virginis.

Digitized by Google

Ant. Vulnerasti Cor meum, Soror mea, sponsa.

Ant. Veniat dilectus meus in hortum suum.

℣. Pone me ut signaculum super Cor tuum.

℟. Ut signaculum super brachium tuum.

Lectio 1.

De Cantico Canticorum.

Cap. 4.

Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es! Oculi tui columbarum absque eo, quod intrinsecus latet. Tota pulchra es, amica mea et macula non est in te. Veni de Libano, sponsa mea, veni de Libano, veni, coronaberis. Vulnerasti Cor meum; soror mea, sponsa; vulnerasti Cor meum in uno oculorum tuorum, in uno crine colli tui. Hortus conclusus soror mea, sponsa; hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuae paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus. Fons hortorum, puteus aquarum viventium. Surge aquilo, et veni auster, perfla hortum meum et fluant aromata illius.

℟. Pone me ut signaculum super Cor tuum, ut signaculum super brachium tuum * quia fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus aemulatio.

℣. Lampades ejus lampades ignis atque flammarum. Quia.

Lectio 2. Cap. 5.

Veniat dilectus meus in hortum suum, et comedat fructus pomorum suorum. Veni in hortum meum soror mea, sponsa: messui myrrham meam cum aromatibus meis: comedi favum cum melle meo. Ego dormio, et Cor meum vigilat; vox dilecti mei pulsantis: aperi mihi soror mea, amica mea,

Digitized by Google

columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, et cincinni mei guttis noctium. Surrexi ut aperirem dilecto meo, manus meae stillaverunt myrrham, et digiti mei pleni myrrha probatissima. Aperui dilecto meo, at ille declinaverat atque transierat. Anima mea liquefacta est, ut locutus est, quaesivi et non inveni illum, adjuro vos, filiae Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei: quia amore langueo.

℟. Laeva ejus sub capite meo et dextra illius amplexabitur me: fulcite me floribus, stipate me malis, * quia amore langueo.

℣. Adjuro vos, filiae Jerusalem, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis, neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Quia.

Lectio 3.

Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum? qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adjurasti nos? Dilectus meus candidus et rubicundus, electus ex millibus, totus desiderabilis. Talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus, filiae Jerusalem. Quo abiit dilectus tuus, o pulcherrima mulierum? Quo declinavit dilectus tuus? et quaeremus eum tecum. Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis, et lilia colligat. Ego dilecto meo, et dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia. Pulchra es amica mea, suavis et decora sicut Jerusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata. Averte oculos tuos a me, qui ipsi me avolare fecerunt. Una est columba mea, perfecta mea, una est matris suae, electa genitrici suae. Viderunt eam filiae, et beatissimam praedicaverunt: Reginae et laudaverunt eam.

Digitized by Google

℟. Adjuro vos, filiae Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei * quia amore langueo.

℣. Qualis est dilectus tuus ex dilecto, o pulcherrima mulierum, quia sic adjurasti nos? Quia. Gloria Patri. Quia.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Dilectus meus mihi et ego illi.

Ant. Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te.

Ant. Una est columba mea, perfecta mea, una est.

℣. Fortis est ut mors dilectio.

℟. Dura sicut infernus aemulatio.

Lectio 4.

Sermo Divi Bernardini senensis.

Quis mortalium, *ut supra p. 928.*

℟. Ego diligentes me diligo, et qui mane vigilant ad me, invenient me. Mecum sunt divitiae et gloria; * opes superbae et justitia.

℣. Ut ditem diligentes me et thesauros eorum repleam. Opes. Benedictio. Christus perpetuae.

Lectio 5.

De hoc igitur Corde quasi fornace divini ardoris Virgo beata protulit verba bona: id est verba ardentissimae charitatis. Sicut enim a vase summo et optimo vino pleno, non potest exire nisi optimum vinum: aut sicut a fornace summi ardoris non egreditur nisi incendium fervens: Sic de Corde Matris Christi exire non potuit verbum, nisi summi summeque divini amoris atque ardoris. . . Septem verba tantum mirae sententiae et virtutis a Christi benedictissima Matre

Digitized by Google

leguntur dicta. Cum Angelo, bis tantum locuta est. Cum Elisabeth bis etiam. Cum Filio etiam bis. Cum ministris in nuptiis semel. Haec septem verba, secundum septem amoris processus et actus, sub miro gradu et ordine prolata, quasi sunt septem flammae fornacei Cordis ejus.

℟. Ego Mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis et sanctae spei. In me gratia omnis viae et veritatis. * In me omnis spes vitae et virtutis.

℣. Transite ad me omnes qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini. In me.

Lectio 6.

Quae verba considerans atque ruminans mens devota, cum ipso Propheta ait: Quam dulcia faucibus meis, id est omnibus affectionibus, eloquia tua! Porro dulcedo haec quam in verbis B. Virginis devota mens sentit, est ardor piae devotionis, quam in eis anima experimentaliter probat. Dicat igitur mens devota: Quam dulcia faucibus meis eloquia tua! Distinguamus vero per ordinem has septem flammas amoris, verborum Virginis benedictae. Prima est flamma amoris separantis. Secunda amoris transformantis. Tertia amoris communicantis. Quarta amoris jubilantis. Quinta amoris saporantis. Sexta amoris compatientis. Septima amoris consummantis.

℟. Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meas quotidie et observat ad postes ostii mei. * Qui me invenerit inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.

℣. Qui autem in me peccaverit, laedet animam suam. Omnes qui me oderunt, diligunt mortem. Qui me. Gloria Patri. Qui me.

Digitized by Google

IN III. NOCTURNO.

Ant. Pulchra es amica mea, suavis et decora sicut Jerusalem.

Ant. Pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata.

Ant. Quam pulchra es et quam decora, suavissima in deliciis.

℣. Qui in me peccaverit, laedet animam suam.

℟. Omnes qui me oderunt, diligunt mortem.

Lectio 7.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

Cap. 2.

In illo tempore dixit Mater Jesu ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce Pater tuus et Ego dolentes quaerebamus te, et reliqua.

Homilia Sancti Bonaventurae Episcopi.

(De Expositione in 2. C. Lucae.)

Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in Corde suo, tanquam prudens et discreta secundum illud: misericordia et veritas te non deserant, commenda eas gutturi tuo et describe in tabulis Cordis tui. Et in Ecclesiastico: Qui ponit ea in corde suo, sapiens erit semper. Unde dicitur de fatuo: Cor fatui quasi vas confractum, et omnem sapientiam non tenebit. Unde Cor Virginis fuit arca continens divinorum eloquiorum arcana: et ideo per arcam Moysis designatur, de qua dicitur, quod continebat tabulas legis divinae: et quia non solum conservabat, sed etiam intelligebat, ideo additur: Conferens in Corde suo. Ita ut possit dicere istud: In Corde meo abscondi eloquia tua.

Digitized by Google

℟. Aquae multae non potuerunt extinguere caritatem, * neque flumina obruent eam.

℣. Si dederit homo omnem substantiam domus suae pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Neque. Gloria Patri. Neque.

Lectio 8.

Et descendit cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis; et mater ejus conservabat omnia verba in Corde suo. Hic describitur ejus clarificatio et hoc per duo: Scilicet per Matris testimonium et per propriae virtutis indicium. Quantum ad Matris testimonium, dicitur: et Mater ejus conservabat omnia verba haec, in Corde suo: ut pro loco et tempore testimonium perhiberet. Sic dictum est: Tu autem Daniel claude sermones, et signa librum usque ad tempus statutum. Et quia hoc intelligebat, ideo dicitur: in Corde suo. Secundum illud: tempus ad responsionem, cor sapientis intelligit.

℟. Spiritus meus super mel dulcis, et haereditas mea super mel et favum. Qui audit me, non confundetur, * et qui operantur in me, non peccabunt.

℣. Qui elucidant me, vitam aeternam habebunt. Et qui.

Lectio 9.

De homilia Dominicae occurrentis; si autem idem Festum transferendum sit, nona lectio sumitur ex Officio B. Mariae in sabbato, Mensis Augusti.

AD LAUDES ET PER HORAS.

Antiphonae.

1. Pone me ut signaculum super Cor tuum.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliquis de Dominica.*

Digitized by Google

2. Vulnerasti Cor meum, soror mea, sponsa. Vulnerasti Cor meum.

3. Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo.

4. Adjuro vos, filiae Jerusalem, ut nuntietis dilecto, quia amore langueo.

5. Ego dormio, et Cor meum vigilat.

Capitulum. Cant. c. 8.

Pone me, *ut supra p. 919.*

Hymnus.

Cor melle dulci dulcius,
Coeleste manna proferens:
Cor sole puro purius,
Incomprehensa continens.

Cor aula Regum Principis:
Dignum Dei sacrarium:
Arca superni foederis:
Altare pacis aureum.

O Cor Matris dulcissimum!
Jucunda spes mortalium:
Pars nostra, vita, gaudium,
Dulcedo, lux, solatium.

Tu fons perennis gratiae:
Spes et salus clientibus:
Abyssus indulgentiae:
Portusque naufragantibus.

Digitized by Google

Sidus micans amantium,
Sol esto, duxque mentibus:
Fornax amoris, omnium
Accende flammas cordibus.

Hoc sontis Evae filios
Nunc, Virgo, Corde protege:
Hoc et tuos jam filios,
Mortis sub horam suscipe.

Per Cor matris purissimum
Jesu tibi sit gloria:
Cum Patre et almo Spiritu
In sempiterna saecula. Amen.

℣. Qui me invenerit, inveniet vitam.

℟. Et hauriet salutem a Domino.

Ad Bened. Ant. Maria conservabat omnia verba haec, conferens in Corde suo.

Oratio. Clementissime Deus, qui ad peccatorum salutem et miserorum perfugium, Cor immaculatum Mariae, divino Cordi Filii sui Jesu Christi, caritate ac misericordia, simillimum esse voluisti: concede, ut qui hujus dulcissimi et amantissimi Cordis memoriam agimus, ejusdem meritis, secundum Cor Jesu inveniri mereamur. Per eundem Dominum.

AD PRIMAM.

℟. *br. dicitur.*

℣. Qui natus es de Maria Virgine.

AD TERTIAM.

Ant. Vulnerasti.

Cap. Pone me ut signaculum.

Digitized by Google

℟. *br.* Ego Mater * pulchrae dilectionis. Ego Mater.

℣. Et timoris, et agnitionis etc. Pulchrae dilectionis. Gloria Patri. Ego Mater.

℣. In me gratia omnis viae et veritatis.

℟. In me omnis spes vitae et virtutis.

AD SEXTAM,

Ant. Fulcite.

Cap. Luc. 2.

Omnes qui audierunt, mirati sunt et de his quae dicta erant a pastoribus ad ipsos. Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in Corde suo.

℟. *br.* In me gratia etc. In me.

℣. In me omnis spes etc. Et veritatis. Gloria Patri. In me.

℣. Qui in me peccaverit laedet, animam suam.

℟. Omnes qui me oderunt etc.

AD NONAM.

Ant. Ego dormio.

Cap. Luc. 2.

Et descendit cum eis, et venit Nazareth: et erat subditus illis. Et Mater ejus conservabat omnia verba haec in Corde suo.

℟. *br.* Qui in me peccaverit, laedet animam suam. Qui.

℣. Omnes qui me oderunt etc. Laedet. Gloria Patri. Qui in me.

℣. Qui me invenerit, inveniet vitam.

℟. Et hauriet salutem a Domino.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis.

Digitized by Google

℣. Qui me invenerit etc.

℟. Et hauriet etc.

Ad Magnificat. Ant. Exultet Cor tuum, o Maria, in Deo salutari suo: quia fecit ei magna qui potens est.

D. Ex Proprio Neapolitano.

AD I. VESPERAS.

Antiph. et Cap. de Laudibus. Psalmi de B. M. V.

Hymnus.

Ad Cor tam tenerum currite Virginis
Almae, vos miseri: fidite, siquidem
Nulli se renuit; sed potius pium
Factum est omnibus omnia.

Ad Matris Cor adi; fide, levaberis,
Infelix homo, nunc curre, quid ambigis?
Tu Cor comperies dulce, tenerrimum,
Cunctos quod levat, excipit.

Ipsum Cor timidos roborat, instruit;
Peccati tenebras lumine dissipans;
Accurrit malis, et noxia criminum
Delet sanguine Filii.

Accedant igitur quique laboribus
Pressi ad Cor tenerum; namque miserrimos
Hos Virgo reficit, sublevat, adjuvat
Tollens pondere criminum.

Si cor sit gelidum, Virginis en amor
Almae: dum refovet, pectora frigida
Ignescunt adeo, quo magis expetant
Incendi simul, et mori.

Digitized by Google

Sit laus Patri, sit gloria Filio;
Aequalis sit honor Spiritui quoque;
Almae sit pariter gloria Virgini,
Quae nos undique protegit. Amen.

℣. Cum jucunditate laudes Cordis Mariae Virginis celebremus.

℟. Ut ipsa pro nobis intercedat apud Dominum Jesum Christum.

Ad Magnif. Ant. O Mater amabilis, beatam te dicent omnes generationes, quia respexit Deus humilitatem Cordis tui; ideo fecit tibi magna, qui potens est.

Oratio *ut ad Laudes.*

AD MATUTINUM.

Invitat. Deum in sanctissimo Corde beatae Mariae Virginis regnantem. * Venite adoremus.

Psalm. Venite.

Hymnus.

Hoc Corde quid sublimius?
Abyssus alta gratiae.
Quid Corde tali dignius?
Est Thronus Regis gloriae.

Thesaurus est fidelium,
Spes certa, turris valida:
Vires tu frange daemonum,
Nostrum tu sis sollicita.

Nos ergo tantae Virginis
Hoc Cor colamus igneum;
In quo beatitudinis
Summae manet compendium.

Digitized by Google

O Cor revera flammeum,
Flammis ure praecordia,
Ex quibus tu ardes, omnium
Accensa fac et pectora.

O Virgo, magnes fortior,
Quae cuncta tibi colligis,
Ambra revera dulcior,
Ad te cor nostrum subtrahe.

Laus sit Mariae, filiae
Patris, ac Matri Geniti:
Sponsaeque sancti Spiritus
Per saeculorum saecula. Amen.

AD LAUDES ET PER HORAS.

Antiphonae.

1. O admirabile et venerandum Cor beatae Mariae Virginis, in quo omnis fons et plenitudo caritatis Christi Jesu inhabitat et regnat.

Psalm. Dominus regnavit, *cum reliq.*

2. Invenit Dominus Mariam secundum Cor suum: et quae placita sunt ei, fecit semper.

3. Ego dormio, et Cor meum vigilat, et meditatio Cordis mei in conspectu Dei semper.

4. Benedictum sit semper Cor Mariae Virginis, quia fons vivus est benedictionis, abyssus gratiae et thronus sanctissimae Trinitatis.

5. Omnis spiritus laudet Dominum, quia in Corde dilectissimae Matris suae fecit magnalia.

Capitulum. Cant. 8.

Pone me, *ut supra.*

Digitized by Google

Hymnus.

Quid Corde Matris Virginis
Coli potest sacratius?
Cordi supremi numinis
Quid Corde tanto gratius?

Amoris est miraculum;
Triumphus almi Spiritus;
Dignum Deo spectaculum;
Foecunda spes mortalibus.

Levamen est lugentibus,
Zelator ardens mentium:
Cunctis datum fidelibus
Cor, vita, lux, oraculum!

O Cor, Dei triclinium,
Nostri exilii solatium:
Fac in tui vestigia
Nos simul vitam ducere.

O sacrosancta Trinitas,
Aeterna vita cordium
Cordis Mariae caritas
In corde regnet omnium.

℣. Ardens Cor Mariae laetabitur Domino in gloria.

℟. Et amabit Deum suum in aeternum.

Ad Bened. Ant. O mater amabilis, magnificent te omnes gentes: et benedictum sit fidelissimum Cor tuum in aeternum.

Oratio. Clementissime Deus, qui ad peccatorum salutem et miserorum perfugium Cor immaculatum Mariae divino Cordi Filii sui Jesu Christi caritate ac misericordia simili-

Digitized by Google

mum esse voluisti, concede, ut qui hujus dulcissimi et amantissimi Cordis memoriam agimus, ejusdem meritis secundum Cor Jesu inveniri mereamur. Per eumdem Dominum.

AD PRIMAM.

In ℟. *br. dic.* ℣. Qui natus es de Maria Virgine.

AD TERTIAM.

Ant. Invenit.

Capit. Pone me.

℟. *br.* Paratum cor meum Deus. * Paratum.

℣. Ut faciam voluntatem tuam. Gloria Patri. Paratum.

℣. Desiderium Cordis Mariae audivit Dominus.

℟. Praeparationem Cordis ipsius audivit auris ejus.

AD SEXTAM.

Ant. Ego dormio.

Capitulum. Luc. 2.

Omnes qui audierunt, mirati sunt de his, quae dicta erant de Jesu a pastoribus. Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in Corde suo.

℟. *br.* Desiderium Cordis Mariae * Audivit Dominus. Desiderium.

℣. Praeparationem Cordis ipsius audivit auris ejus. Audivit. Gloria Patri. Desiderium.

℣. Omnis spiritus laudet Dominum.

℟. In Corde Mariae regnantem.

AD NONAM.

Ant. Omnis spiritus.

Digitized by Google

Capitulum. Luc. 2.

Et descendit cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis; et mater ejus conservabat omnia verba haec in Corde suo.

℟. *br.* Omnis spiritus * Laudet Dominum. Omnis.

℣. In Corde Mariae regnantem. Laudet. Gloria Patri. Omnis.

℣. Vivet Cor Mariae, et laetabitur in Domino.

℟. Et amabit eum in saeculum saeculi.

IN II. VESPERIS

dicuntur omnia ut in primis.

Ad Magnif. Ant. Exultet Cor Mariae in Deo salutari suo, quia fecit sibi magna qui potens est.

E. Ex Proprio Panormitano. [1])

AD VESPERAS.

Antiph. et Cap. de Laudibus. Psalmi de B. M. V.

Hymnus.

Hic adsta docilis gens sacra Christo,
Audi, docta datur Virgo magistra,
Factis corda suis erudit intus,
Et virtutis iter praevia monstrat.

Fervet mille modis pectoris aestus,
Dum fit grata Deo, fit sibi vilis,
Quae regem superum concipit alvo,
Ancillae titulo laeta superbit.

1) De quo vid. supra p. 513 jcta. p. 517.

Digitized by Google

Secreta placidae mentis in aula
Audit blanda Dei verba loquentis;
Pro verbis tacitus, quos Deus afflat,
De puro gemitus Corde rependit.

Sponso casta suo sponsa fidele
Hic dat perpetui pignus amoris:
Hic desideriis icta supernis
Mens jam passa Deo praeripit astra.

Sit laus summa Patri, summaque Nato,
Compar Spiritui gloria sancto;
Quos in Corde foves Virginis aestus,
Nostris, alme Deus, cordibus infer. Amen.

℣. Custodivit animam suam.

℟. Et memor fuit Domini in toto Corde suo.

Ad Magnif. Ant. Exultavit Cor tuum in Deo salutari tuo, quia fecit tibi magna, qui potens est.

Oratio *ut ad Laudes.*

AD LAUDES ET PER HORAS.

Antiphonae.

1. Dilectus meus ordinavit in me caritatem: fulcite me floribus, stipate me malis.

2. Adjuro vos, Filiae Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, ut nuntietis ei, quia amore langueo.

3. Anima mea liquefacta est, ut locutus est dilectus meus.

4. Totus desiderabilis; talis est dilectus meus, et ipse est amicus meus.

Digitized by Google

5. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuae, Deus, laetificaverunt animam meam.

Capit. Pone me, *ut supra.*

Hymnus.

Quae lingua, Virgo, pectoris
Narret tui miracula?
Quis pingat ignes, quos sacra
Diffundit intus caritas?

O Cor paterni criminis
Immune! coelo gaudia
Praebes stupenti, quae dare
Vel totus orbis non queat.

Templo parentes offerunt
Corpus tenellum Virginis:
Sed Virgo munus exhibet
Summo Parenti gratius.

Cor nempe sedem gratiae,
Cor efficaci praeditum
Virtute, Cor de sedibus
Verbum supernis attrahens.

Praesente Christo, quot novas
Felix anhelo congerit
Maria dotes in sinu!
Jam spirat humanum nihil.

Non laeta pectus molliunt,
Non dura pectus aggravant,
Immota ceu rupes manet,
Dant ipsa robur praelia.

Digitized by Google

Indigna tanto munere
Tellus videtur perfrui:
Quo te rapit fervens amor,
Te, Virgo, portant coelites.

Si Trinitati gloria,
Quae Virginis Cor caelicis
Flammis adussit; pectora
Sic nostra semper ferveant. Amen.

℣. In te, Beata Virgo, gratia omnis viae et veritatis.

℟. In te omnis spes vitae et salutis.

Ad Benedict. Ant. Dedit confessionem Sancto et Excelso in verbo vitae, de omni Corde suo laudavit Dominum, et dilexit Deum.

Oratio. Deus, qui B. Mariae semper Virginis Cor sanctissimum ad imaginem divini Cordis Filii ejus Jesu Christi caritate et misericordia plenum esse voluisti, concede, ut qui hujus dulcissimi Cordis memoriam agimus, fideli virtutum ipsius imitatione, Christum in nobis exprimere valeamus. Qui tecum vivit et regnat.

AD TERTIAM.

Capit. Pone me, *ut supra.*

℟. *br.* Factus est Dominus in Corde meo, * Quasi ignis exaestuans. Factus est.

℣. Et defeci, ferre non sustinens. Quasi ignis. Gloria Patri. Factus.

℣. In toto Corde meo exquisivi te.

℟. In Corde meo abscondi eloquia tua.

Digitized by Google

AD SEXTAM.

Capit. Cant. 3.

Surgam, et circumibo civitatem: per vicos, et plateas quaeram, quem diligit anima mea. Invenerunt me, qui custodiunt civitatem; paululum quum pertransissem eos, inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.

℟. *br.* Anima mea * Exultabit in Domino. Anima mea.

℣. Et delectabor in salutari tuo. Exultabit. Gloria Patri. Anima mea.

℣. Cor meum et caro mea exultaverunt.

℟. In Deum vivum.

AD NONAM.

Capitulum. Judith. 15.

Tu gloria Jerusalem, tu laetitia Israel, tu honorificentia populi nostri; quia fecisti viriliter, et confortatum est Cor tuum; ideo et manus Domini confortavit te, et eris benedicta in aeternum.

℟. *br.* Concaluit Cor meum. * Intra me. Concaluit.

℣. Et in meditatione mea exardescet ignis. Intra me. Gloria Patri. Concaluit.

℣. Quam bonus Israel Deus.

℟. His, qui recto sunt corde.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis.

℣. Providebam Dominum in conspectu meo semper.

℟. Propter hoc laetatum est Cor meum.

Ad Magnif. Ant. Voluntas Cordis tui, o beata Virgo, et obsecratio ad Deum sit pro nobis in salutem.

Digitized by Google

F. Officium in festo vitae interioris B. M. V.[1])

(Duplex I Classis, cum Octava.)

AD I. VESPERAS.

Psalmi ut in Festis B. M. V.

Ant. In Mariam se totum Christus infudit, et plene in ea se expressit.

Ant. Maria hortus deliciarum Dei, hortus conclusus, fons signatus sigillo totius Trinitatis.

Ant. Haec est quae solo Deo Filioque contenta, ad creaturas non respexit, sed in Deo perfecte et unice quievit.

Ant. Haec est imago Christi perfectissima, quam ad vivum depinxit Spiritus sanctus.

Ant. Haec est arca Dei, in qua reconduntur thesauri Dei; et templum in quo explicantur divitiae ejus pro filiis hominum.

Capitulum. Cant. 4.

Ab initio et ante saecula.

Hymnus.

Hymnis alta sacris templa resultent;
Vestros, o Superi, jungite cantus;
Coeli dives adest munere Virgo,
Extolli modulis digna supernis.

Haec augusta novi foederis arca,
Antiquo melius manna recondit:
Lex perfecta latet corde sub imo,
Supremi digito scripta Tonantis.

1) Ex Proprio Seminarii S. Sulpitii, die 19. Oct.

Digitized by Google

Sanctum te, Genitrix, Flamen obumbrans,
Quo non interius te litat igne!
Adstans virginei pectoris hospes,
Urit tecta suis hospita flammis.

Et tu quanta Deo dona rependis
Natum casta paris sponsa Parentis:
Verbum carne tegis Mater, et intus
Templum Spiritui, Virgo, ministras.

O quot supplicibus fervida votis
Ultrices reprimis Numinis iras!
Quidquid grande potest tradere Numen,
Matri Natus amans tradit amanti.

Sit laus summa Patri, summaque Nato;
Compar Spiritui gloria sancto:
Quos in corde foves Virginis aestus,
Nostris, alme Deus, cordibus infer. Amen.

℣. Ave, Maria, gratia plena.

℟. Dominus tecum.

Ad Magnif. Ant. Plantavit Dominus Mariam in Ecclesia, sicut Paradisum voluptatis, in qua posuit Filium suum hominem, qui operaretur in illa, custodiret, ornaret et sanctificaret eam.

Oratio. Deus, qui beatissimam Virginem Mariam supra omnes creaturas, Interiorum Christi participem et imaginem perfectissimam esse tribuisti: concede nobis, quaesumus, sic Interiora Mariae venerari, ut per ipsam Christo conformes fieri, et per ipsum in teipso, in unum consummari mereamur. Per eumdem.

Ad Completorium et alias Horas, in fine Hymnorum,

Digitized by Google

etiam in Festis et Dominica infra Octavam occurrentibus, dicitur Doxologia:

Gloria tibi, Domine,
Qui resides in Virgine,
Cum Patre et sancto Spiritu,
In sempiterna saecula. Amen.

AD MATUTINUM.

Invitat. Immaculatam Dei Genitricem consummatam in Deum honoremus: * Filium ejus consummatorem adoremus Dominum.

Psalm. Venite, exultemus.

Hymnus.

Hic adsta docilis, gens sacra Christo;
Audi, docta datur Virgo magistra;
Factis corda suis erudit intus,
Et virtutis iter praevia monstrat.

Fervet mille modis pectoris aestus;
Dum fit grata Deo, fit sibi vilis;
Quae Regem Superum concipit alvo,
Ancillae titulo laeta superbit.

Unum scire Deum spiritus ardet;
In se totus abit, non vagus extra;
Illibata timet Virgo videri,
Abscondique suis aedibus ambit.

Secreta placidae mentis in aula,
Audit blanda Dei verba loquentis;
Pro verbis, tacitos quos Deus afflat,
De puro gemitus corde rependit.

Digitized by Google

Sponso casta suo sponsa fidele
Hic dat perpetui pignus amoris:
Hic desideriis icta supernis,
Mens jam pasta Deo praeripit astra.

Sit laus summa Patri, summaque Nato;
Compar Spiritui gloria sancto:
Quos in corde foves Virginis aestus,
Nostris, alme Deus, cordibus infer. Amen.

Psalmi ut in Festis B. M. V.

IN I. NOCTURNO.

Ant. Maria * Sanctum Sanctorum est, in quod solus summus Sacerdos Christus Dominus ingressum habuit.

Ant. Sicut omnia * flumina intrant in mare, et mare non redundat; sic omnes gratiae intrant in Mariam, et Maria non redundat.

Ant. Haec mare magnum * et spatiosum; illic gratiae, virtutes et dona, quorum non est numerus.

℣. Quidquid maledictionis infusum est per Evam.

℟. Totum abstulit benedictio Mariae.

Lectio 1.

De Canticis Canticorum.

Cap. 4.

Quam pulchra es, amica mea, quam pulchra es! Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet. Capilli tui sicut greges caprarum, quae ascenderunt de monte Galaad. Dentes tui sicut greges tonsarum, quae ascenderunt de lavacro; omnes gemellis foetibus, et sterilis non est inter eas. Sicut vitta coccinea labia tua, et eloquium tuum dulce.

Digitized by Google

Sicut fragmen mali punici, ita genae tuae, absque eo quod intrinsecus latet.

℟. Maria ita Deo unita erat, et ejus amore plena, * Ut vita ejus unicus esset amor et Dei occupatio.

℣. Sicque per amorem in Deum rapta, contemplatione satiaretur. * Ut vita ejus.

Lectio 2.

Sicut turris David collum tuum, quae aedificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. Veni de Libano, sponsa mea; veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir et Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum. Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui.

℟. O vere solitaria anima! * Vastissima tua solitudo Deus erat: murus tuus, sanctitas Dei, qua ab omnibus separabaris.

℣. Deum imitata, qui sic per immensitatem ubicumque praesens est, ut tamen, sanctitate sua separatus ab omnibus, extra se nunquam, in se semper sit. * Vastissima.

Lectio 3.

Favus distillans labia tua, sponsa, mel et lac sub lingua tua: et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris. Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuae paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus. Cypri cum nardo, nardus et crocus, fistula et cinnamomum cum universis lignis Libani, myrrha et aloe, cum omnibus primis unguentis. Fons hortorum, puteus aquarum viventium, quae fluunt impetu de Libano.

Digitized by Google

℟. O supra contemplationem elevata, quae sic nonnunquam rapta fuit, * Ut dum viveret, ad visionem divinae essentiae aliquando pertigerit, quantum viatoris status caperet.

℣. Potentiisque ejus in Deum absorptis, similitudinem ejus in terris expresserit. * Ut dum viveret. Gloria. * Ut dum viveret.

IN II. NOCTURNO.

Ant. Totum * quidquid in Maria fuit, possedit Spiritus sanctus.

Ant. Caeteris * per partes praestatur, Mariae vero simul se tota infudit plenitudo gratiae.

Ant. O prodigium * sanctitatis Mariae! o miraculum dilectionis, quae nullam in amore sensit eclipsim!

℣. Tota pulchra es, Maria.

℟. Et macula non est in te.

Lectio 4.

Sermo sancti Bernardi Abbatis.

[*(De 12. praerog. B. M.)*

Jure Maria sole perhibetur amicta, quae profundissimam divinae sapientiae, ultra quam credi valeat, penetravit abyssum: ut quantum, sine personali unione, creaturae conditio patitur, luci illi inaccessibili videatur immersa. Illo nimirum igne, Prophetae labia purgantur; illo igne Seraphim accenduntur. Longe vero aliter Maria meruit, non velut summatim tangi, sed operiri magis undique, et circumfundi, et tanquam ipso igne concludi.

℟. Divino semper lumine illustratus intellectus, illuc continuo ferebatur, * Ubi per contemplationem essentiae divinae aliquando quieverat.

Digitized by Google

℣. Illuc tendebat voluntas, ubi senserat se plene satiatam. * Ubi.

Lectio 5.

(Ex Sermone ejusdem de Nativitate B. M. V.)

Altius intueamini quanto devotionis affectu a nobis eam voluerit honorari, qui totius boni plenitudinem posuit in Maria: ut proinde si quid spei in nobis, si quid gratiae, si quid salutis, ab ea noverimus redundare. Tolle corpus hoc solare, quod illuminat mundum; ubi dies? Tolle Mariam, hanc maris stellam, maris utique magni et spatiosi; quid nisi caligo involvens, et umbrae mortis, ac densissimae tenebrae relinquuntur? Totis ergo medullis cordium, totis praecordiorum affectibus, et votis omnibus, Mariam hanc veneremur; quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam.

℟. In te est, Virgo beatissima, spiritus Patriarcharum, Prophetarum lumen, Apostolorum gratia, Martyrum fortitudo, Doctorum sapientia, zelus Confessorum, puritas Virginum, simplicitas Innocentium: * In te omnis Sanctorum gratia congregata est.

℣. In aliis Sanctis particularis spiritus; in te omnis et universus laudat Dominum. * In te omnis Sanctorum.

Lectio 6.

Ex Sermone sancti Cyrilli Alexandrini.

(In Concilio Ephesino habito.)

Salve a nobis, Deipara Maria, venerandus totius orbis thesaurus: per quam sancta Trinitas glorificatur et adoratur; per quam pretiosa Crux in universo orbe celebratur; per quam coelum exultat, Angeli et Archangeli laetantur, dae-

Digitized by Google

mones fugantur, tentator diabolus e coelo decidit, prolapsa creatura in coelum assumitur, universa creatura idolorum vesania detenta ad veritatis agnitionem pervenit. Salve per quam sanctum Baptisma obtigit credentibus; per quam toto terrarum orbe fundatae sunt Ecclesiae; per quam gentes adducuntur ad poenitentiam. Et quid plura dicam? Per quam Prophetae praenuntiarunt, Apostoli salutem gentibus praedicarunt, mortui exsuscitantur, reges regnant. Ecquis hominum laudabilissimam illam Mariam pro dignitate celebrare queat?

℟. O supra omnem creaturam dilecta, quae supra omnes dilexit! * O supra omnes in coelis elevata, quae prae caeteris humilis fuit!

℣. Vere puteus gratiarum, quam sibi in sociam Spiritus elegit, ut Ecclesiam sanctificaret. * O supra omnes in coelis. Gloria. * O supra.

IN III. NOCTURNO.

Ant. O sanctitas * Mariae, in qua sunt universa florum genera, et odoramenta virtutum!

Ant. Unica Mariae * oratio fuit, quae non minus quam ipsius vita duravit.

Ant. O pretiosus * hamus, quo homines Christus allicit, adducit, et trahit ad Patrem!

℣. Domine, dilexi decorem domus tuae.

℟. Et locum habitationis gloriae tuae.

Lectio 7.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Cap. 1.

In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilaeae, cui nomen Nazareth, ad Virginem des-

Digitized by Google

ponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David; et nomen Virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave, gratia plena. Et reliqua.

Homilia sancti Bernardini Senensis.

Tom. IV. p. 98.

Quum tota natura divina, totum esse, posse, scire et velle divinum, intra Virginis uterum exstiterit clausum: non timeo dicere, quod in omnium gratiarum effluxus quamdam jurisdictionem habuerit haec Virgo, de cujus utero, quasi de quodam divinitatis oceano, rivi et flumina emanabant omnium gratiarum. Reperio namque in rege nostro Jesu, duas mirabiles dignitates, videlicet: quod sit aeternus Deus genitus ab aeterno; et aeternum Deum producat, eo quod Spiritum sanctum spiret, et ipse clausus in Virgineo utero. In aeternitate a Deo Patre Deus generabatur aeternus; et in eadem aeternitate, ipse puer in ventre Matris, Deum inspirabat et producebat.

℟. Mariae, quantum ipsa capere potuit, Pater se perfectissime communicavit, * Ut in eam descendens Filius, in illa quasi in speculo Patrem considerans, eum in Matre manentem honoraret in terris, quem vere beatus videbat et adorabat regnantem in coelis.

℣. O vere foecunda, quae sic Deo plena inventa est. * Ut in eam descendens.

Lectio 8.

Primam Filii dignitatem, scilicet quod sit generatus a Deo, tam supremo modo Virgo benedicta participavit, quod Jesus non dicatur verius Filius Dei quam Filius Virginis, nec major, nec minor, nec dignior est Dei Filius in throno paterno sedens, vestitus claritate quam habuit antequam

Digitized by Google

mundus fieret, quam pannis pauperibus involutus, et intra foenum in praesepio reclinatus.

℟. O sinus admirabilis: * In quo requiescit in tempore, qui in sinu Patris quievit in aeternitate, verus Dei et Mariae Filius!

℣. Uterque sinus deliciarum et foecunditatis locus, voluptatis paradisus, abyssus gaudiorum. * In quo. Gloria. * In quo.

Lectio 9.

(Si non sit Dominica.)

Et quia talis est Mater Filii Dei, qui producit Spiritum sanctum: ideo omnia dona, virtutes et gratiae ipsius Spiritus sancti, quibus vult, quando vult, quomodo vult, et quantum vult, per manus ipsius administrantur; ita quod nulla creatura aliquam a Deo obtinuit gratiam vel virtutem, nisi secundum ipsius piae Matris dispensationem.

AD LAUDES.

(Psalmi de Dominica.)

Ant. Qui videt * Filium Dei, videt et Patrem, propter unitatem essentiae; qui Mariam videt, videt Jesum propter conformitatem gratiae.

Ant. O Tabernaculum * Dei vivum! in quo vivens Christus vult ab Angelis et hominibus adorari.

Ant. O suavissima * cithara! qua Christus utitur ad delicias Patris.

Ant. Thesaurus * Christi, Maria est; Thesaurus Mariae Christus.

Ant. O Mater * vigilantissima! cujus oculi sunt semper ad Dominum, ut ipse evellat de laqueo pedes filiorum suorum.

Digitized by Google

Capitulum. Cant. 4.

Quam pulchra es, amica mea! quam pulchra es! Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet.

Hymnus.

Qualis, Virgo, tibi gloria surgit!
Aeterni soboles diva Parentis,
En illapsa tuam coelitus alvum,
Mollis membra sibi corporis aptat.

O felix, leviter quam gravat intus
Ipsum Numen onus! Virgo colenda,
Quae nutrice parens ubere lactat
Natum, quo geminus pascitur orbis!

Quo non interius fervet amore,
Quae fontem peperit mater amoris?
Nato blanda frequens oscula figit,
Et maternus amor crescit amando.

Quotquot de Puero celsa feruntur,
Attenta Genitrix arripit aure;
Laudes sub memori pectore servat,
Applaudensque sibi complacet intus.

In Matrem resilit gloria Nati;
In Natum resilit gloria Matris.
O quam cara Deo, quam Deus ipse
Consortem proprii reddit honoris!

Laus summae Triadi, quae sibi sacra
Pectus virgineum templa dicavit;
Quo vult te, Genitrix, Natus amari,
Te mens nostra colat semper amore. Amen.

Digitized by Google

℣. Non est inventum tale opus.

℟. In universa terra.

Ad Bened. Ant. Anima Mariae profundissimae humilitatis et sublimissimae contemplationis locus est, atque summae Dei Patris et Christi communicationis.

Oratio, ut supra.

AD PRIMAM.

In ℟. *br.*

℣. Qui resides in Maria Virgine.

AD TERTIAM.

Ant. O tabernaculum.

Capit. Quam pulchra es, *ut supra.*

℟. *br.* Pulchra es et decora, * Filia Jerusalem. Pulchra es.

℣. Super omnes choros Angelorum. * Filia Jerusalem. Gloria Patri. Pulchra es.

℣. In Maria habitat plenitudo Spiritus sancti.

℟. Ad gloriam Dei et salutem hominum.

AD SEXTAM.

Ant. O suavissima.

Capitulum. Cant. 4.

Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. Veni de Libano, veni, coronaberis.

℟. *br.* In Maria habitat * Plenitudo Spiritus sancti. In Maria habitat.

℣. Ad gloriam Dei et salutem hominum. * Plenitudo. Gloria Patri. In Maria.

Digitized by Google

℣. De plenitudine tua omnes accepimus.

℟. Ut laeti canamus canticum Domini.

AD NONAM.

Ant. O Mater.

Capitulum. Cant. 4.

Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum, in uno oculorum tuorum, et in uno crine colli tui.

℟. *br.* De plenitudine tua * Omnes accepimus. De plenitudine.

℣. Ut laeti canamus canticum Domini. * Omnes. Gloria Patri. De plenitudine.

℣. O Israel, quam magna est domus Dei.

℟. Et ingens locus possessionis ejus!

AD II. VESPERAS.

Psalm. Dixit Dominus, *cum reliquis de Festis B. M. V. ut in I Vesperis.*

Ant. Cor Mariae * thronus Christi est, ubi vivit in plenitudine virtutis suae, et in perfectione viarum suarum agit, ad gloriam Patris.

Ant. Maria sigillum * Dei est, quo Christus expressus, in Sanctis suis se imprimit.

Ant. Haec est * sacra Dei officina, ubi formatur nova creatura, atque per Christum in ea habitantem, divinae sumus consortes naturae.

Ant. O fidelis * Maria, in qua omnia consilia Dei et mysteria ad apicem completa sunt.

Ant. Locus quietis * Christi Maria, ubi summo cum honore excipitur, et magna cum pace et amore quiescit.

Digitized by Google

Capitulum. Cant. 4.

Quam pulchra es, amica mea! quam pulchra es! oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet.

Hymnus.

Hymnis alta sacris templa resultent;
Vestros, o Superi, jungite cantus;
Coeli dives adest munere Virgo,
Extolli modulis digna supernis.

Haec augusta novi foederis arca
Antiquo melius manna recondit;
Lex perfecta latet corde sub imo,
Supremi digito scripta Tonantis.

Sanctum te, Genitrix, Flamen obumbrans,
Quo non interius te litat igne!
Adstans virginei pectoris hospes,
Urit tecta suis hospita flammis.

Et tu quanta Deo dona rependis!
Natum casta paris sponsa Parentis:
Verbum carne tegis Mater, et intus
Templum Spiritui, Virgo, ministras.

O quot supplicibus fervida votis
Ultrices reprimis Numinis iras!
Quidquid grande potest tradere Numen,
Matri Natus amans tradit amanti.

Sit laus summa Patri, summaque Nato;
Compar Spiritui gloria sancto:
Quos in Corde foves Virginis aestus,
Nostris, alme Deus, cordibus infer. Amen.

℣. Maria locus benedictionis est.
℟. In quo benedicentur omnes tribus terrae.

Digitized by Google

Ad Magnif. Ant. Haec est filia Patris dilecta, in qua semper sibi bene complacuit; haec est amantissima Filii Mater, in qua suaviter quievit; haec est carissima Spiritus sancti sponsa, quam sibi perfectissime univit.

CAPUT II.

VARIA PIETATIS EXERCITIA ROMANIS JUDICIBUS PROBATA.

§. I.

Ex opere P. Gallifet.

Exercitium ad purissimum Cor Mariae.

O Maria, Mater Dei augustissima, hanc veniam servulo tuo clemens indulge, ut mihi liceat selectis illis famulis tuis conjungi, qui peculiari cultu et studio Cor tuum immaculatum prosequuntur, ut ipse quoque gratiarum, huic pietatis officio tibi ac Filio tuo gratissimo, affixarum, particeps effici merear.

O Cor Mariae, omnipotentissimae Dei manus opus perfectissimum, Cor sanctitate, puritate, nobilitate, sublimitate, Dei Matre dignum: simulque Redemptoris Matre, misericordia, humilitate, caritate, mansuetudine dignissimum. Tu, fons inexhaustus bonitatis, dulcedinis, beneficentiae, commiserationis. Tu, virtutum omnium perfectissimarum ac purissimarum exemplar. Tu, Cordis Jesu imago quam simillima Tu, flammis amoris divini super omnia Seraphim indesinenter et ineffabiliter ardes. Tu, gloriae Dei plus servis affectionibus tuis vel levissimis, quam alii Sancti conferre possint cunctis operibus suis maxime arduis et heroicis. Tu, sedes

Digitized by Google

pacis. In te, justitia et misericordia primum osculatae sunt. In te, concordia inter coelum et terram tractari, foedusque inter Deum et hominem iniri coepit. Tu, homines omnes incenso ac tenerrimo amore complecteris. Tu, illorum miseriis materno semper affectu tangeris. Tu, semper felicitatis nostrae desideriis exarsisti. Tu, dolores immensos pro salute nostra pertulisti. Ergo, o Cor dulcissimum, amantissimum, sanctissimum, tot capitibus veneratione mea, amore ac fiducia dignissimum, obsequia, quae amore tui incensus tibi supplex defero, solita clementia admitte. Te summa, qua possum, submissione revereor. Maximas tibi gratias ago, quod miseriis meis, pietate plusquam materna commotum, pios in me tam saepe misericordiae tuae effectus effuderis; tamque multis beneficiis ex illo bonitatis thesauro depromptis affeceris. Ego me hodie devotis tuis, qui in laudibus tuis, cultu et amore delectantur, cupidissime adjungo. Scilicet a divino, quo reguntur, spiritu edocti didicerunt, te certam esse viam, qua tuto ac recta ad Jesum pervenitur; tuaque potissimum opera nos uti debere, ut officia quaecumque Jesu debita, per te solvamus et impleamus. Per te Jesu adorandus est: per te amandus: per te laudandus ac benedicendus: per te rogandus: per te placandus: per te omnia nostra ei offerenda, dicanda, consecranda: ut ea demum ratione in omnibus, per te ipsum, imbecillitati nostrae subveniamus, atque egestati nostrae divitiis tuis provideamus ac suppleamus. Esto igitur, o Cor virgineum, augustissimum, amabilissimum, esto ex hora hac, ad ultimum usque vitae spiritum, venerationis meae et amoris mei objectum quotidianum ac perpetuum. Tu via eris, qua et ego ad Jesum accedam, et ipsius misericordia ad me veniet. Tu, refugium meum in necessitatibus, et consolatio in tribulationibus. Tu, speculum, quod assidue contemplabor. Tu, schola sacra, in

Digitized by Google

qua Jesu magistri mei lectiones audiam. Te docente divina illius effata, consilia, virtutes ediscam. Tu veram ac perfectam exercendarum virtutum rationem monstrabis. Te duce, te suadente, te excitante studebo sectari puritatem, humilitatem, mansuetudinem, caritatem, patientiam, mundi rerumque creatarum contemtum, sed maxime amorem Jesu Dei ac Redemptoris mei Filii tui. Has ego virtutes per te fidenter petam et impetrabo. O verus misericordiae thronus! cor meum peccatis inquinatum, inordinatisque cupiditatibus agitatum, tibi praesentare audeo, tuo conspectu licet indignum, oro, ne contemnas; sed tibi oblatum et dicatum purifica, sanctifica, a rebus terrestribus avoca, acerrimo peccatorum suorum dolore transverbera, tuo demum, ac Filii tui unigeniti Jesu Christi amore inflamma: denique tibi simillimum redde, ut tibi in Paradiso conjunctum, tecum amare Deum, Deoque frui aeternum possit. Amen.

Oratio. Sanctissime Spiritus, qui omnia gratiae tuae charismata in uno Mariae Virginis Corde mirabiliter congregasti, et illud divinitatis tuae dignum habitaculum effecisti: concede propitius, ut in illo sanctissimo ac suavissimo sponsae tuae Corde tutissimum refugium, nunc et in hora mortis, invenire possimus. Per Dominum Nostrum.

Pii affectus ad Cor Mariae.

Cor Mariae ab origine immaculatum,
Cor Mariae gratiae plenum,
Cor Mariae, inter omnia corda benedictum,
Cor Mariae sanctissimae Trinitatis sacrarium,
Cor Mariae Cordi Jesu simillimum,
Cor Mariae, in quo Jesus sibi bene complacuit,
Cor Mariae humilitatis abyssus,
Cor Mariae sedes misericordiae,

Amore Jesu, quo ardes, accende cor meum.

Digitized by Google

Cor Mariae divini amoris incendium,
Cor Mariae bonitatis Oceanus,
Cor Mariae puritatis et innocentiae miraculum,
Cor Mariae speculum omnium divinarum perfectionum,
Cor Mariae primum omnium virginitatis voto consecratum,
Cor Mariae, in quo sanguis Jesu pretium Redemptionis nostrae formatus est,
Cor Mariae, desideriis tuis mundi salutem accelerans,
Cor Mariae gratiam peccatoribus impetrans,
Cor Mariae verba Jesu ac gesta fidelissime conservans,
Cor Mariae doloris gladio transfixum,
Cor Mariae in passione Christi afflictissimum,
Cor Mariae, Christo crucifixo cruci confixum,
Cor Mariae mortuo Jesu moerore consepultum,
Cor Mariae, Jesu resurgente, gaudio redivivum,
Cor Mariae in ascensione Jesu ineffabili dulcedine delibutum,
Cor Mariae in descensu Spiritus sancti nova gratiarum plenitudine cumulatum,
Cor Mariae consolatio afflictorum,
Cor Mariae peccatorum refugium,
Cor Mariae cultorum tuorum spes ac dulce praesidium,
Cor Mariae agonizantium auxilium,
Cor Mariae Angelorum ac Sanctorum omnium jubilus,

Amore Jesu, quo ardes, accende cor meum.

℣. Maria immaculata, mitissima et humillima:
℟. Fac cor meum secundum Cor Jesu.

Oratio. Clementissime Deus, qui ad peccatorum salutem miserorumque perfugium, Cor sanctissimum et immaculatum Mariae divino Cordi Filii sui Jesu Christi caritate ac misericordia simillimum esse voluisti: concede, ut, qui hujus dulcissimi et amantissimi Cordis memoriam agimus, ejusdem

Digitized by Google

meritis secundum Cor Jesu inveniri mereamur. Per eundem Dominum N. Amen.

Aspirationes sacrae ad Cor sanctissimum Mariae.

I. Cor Mariae, Cordi Jesu simillimum, fac cor meum secundum Cor Jesu.

II. Cor Mariae, amore Jesu ardentissimum, amore illo, quo ardes, incende cor meum.

III. Cor Mariae immaculatum, cordis mei maculas absterge, eique puritatem tuam infunde.

IV. O Cor dulcissimum Matris meae, esto refugium meum in die tribulationis, et in hora mortis meae. Amen.

§ II.

Ex aliis libris Romae editis.

Oratio ad SS. Cor Mariae.

O Cor Mariae, Matris Dei et Matris nostrae; Cor amabilissimum, in quo sibi complacuit adoranda Trinitas; Cor dignum omni veneratione et tenerrimo amore Angelorum et hominum; Cor supra omne aliud simile Cordi Jesu, cujus es perfectissima imago; Cor plenum bonitate et tantopere compatiens nostris miseriis, dignare resolvere glaciem cordium nostrorum; fac, ut sint prorsus conversa ad Cor divini Salvatoris. Infunde ipsis amorem tuarum virtutum; inflamma ipsa sacro illo igne, quo continuo arsisti. Conclude intra te sanctam Ecclesiam; custodi illam. Sis semper dulce ejus asylum, ejusque turris inexpugnabilis contra omnes hostium incursus. Sis nobis via, qua tendamus ad Jesum, et canalis, quo recipiamus omnes gratias nobis ad salutem neces-

Digitized by Google

sarias. Sis nobis in necessitatibus auxilium, in afflictionibus solatium, in tentationibus propugnaculum, in persecutionibus refugium, in omni periculo adjutorium, sed specialiter in ultimo vitae nostrae certamine, in hora mortis, quando infernus totus insurget contra nos ad rapiendas animas nostras; in tremendo hoc momento, a quo dependet aeterna nostra salus. Tunc, ah tunc, Virgo piissima, fac nos sentire teneritudinem materni tui Cordis, et magnitudinem potentiae tuae in Cor Jesu, aperiendo nobis in ipso misericordiae fonte tutum refugium, ut possimus pervenire ad illum tecum in paradiso laudandum per omnia saecula saeculorum. Amen.

Laus Cordi Jesu et Mariae. Cognitum, laudatum, benedictum, amatum, obsequio honoratum et glorificatum semper et ubique sit divinissimum Cor Jesu et purissimum Cor Mariae. Amen. *(Indulgent.)*

Oratio ad Cor Mariae pro conversione peccatorum.

O clementissima Maria, refugium peccatorum, obsecro te per dolores Cordis tui compassione pleni, et per mortem dilecti Filii tui Jesu, impetra omnibus peccatoribus mundi, iis praesertim, qui scandalis et pravis doctrinis alios in peccatum adducunt, gratiam, ut sincere convertantur. Amen.

Cor Mariae compatiens, succurre peccatoribus.

Cor Jesu, Cor summi sacerdotis, da mihi Cor sacerdotale, quod tui inflammatum amore totum se offerat et consumat pro salute miserorum peccatorum.

Cor Mariae, Cordis Jesu amantissimum, da mihi hujus Cordis amorem vehementissimum. Sancte Joseph, da mihi tuum erga Jesum et Mariam amorem.

Digitized by Google

Oratio aereae laminae inscripta in parte aversa imaginis B. M. V. in Basilica Liberiana.

Ave augustissima Regina pacis, sanctissima Mater Dei, per sacratissimum Cor Jesu Filii tui, Principis pacis, fac ut quiescat ira ipsius, et regnet super nos in pace. Memorare, o piissima Virgo Maria, non esse auditum a saeculo, quemquam tua petentem suffragia esse derelictum. Ego tali animatus confidentia ad te venio. Noli, mater Verbi, verba mea, despicere, sed audi propitia et exaudi, o clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria. *(Indulgent.)*

Aspiratio ad SS. Cor Mariae.

Dulce Cor Mariae esto salus mea. *(Indulgent.)*

Commemoratio de SS. Corde Mariae.

Antiph. Aquae multae non potuerunt extinguere caritatem, neque flumina obruent eam.

℣. Cor Mariae doloris gladio transfixum:

℟. Amore Jesu, quo ardes, accende cor nostrum.

Oremus.

Concede, quaesumus, omnipotens Deus, ut qui in sacro beatissimae Virginis Mariae Corde gloriantes summae ejus in te caritatis et maternae in nos dilectionis commemorationem recolimus, ejusdem amantissimae matris et caritatem imitemur et patrocinia sentiamus. Per Christum Dominum Nostrum. Amen. *(Indulgent.)*

Digitized by Google

CAPUT III

VARIA PIETATIS EXERCITIA, QUAE A P. EUDES PROPOSITA EMUS. CARDINALIS DE LATERE LEGATUS CUM GRANDI PRAESULUM ET DOCTORUM GLOBO PROBAVIT.[1])

Testamentum Julii II., Papae,

dicendum quando pulsatur ad salutationem Virginis Mariae.

(Ex lib. VII. c. 1.)

O gloriosissima Regina misericordiae, saluto venerabile templum uteri tui, in quo requievit Dominus Deus meus. Ave Maria.

O gloriosissima Regina misericordiae, saluto virgineum Cor tuum, quod purissimum fuit ab omni contagione peccati. Ave Maria.

O gloriosissima Regina misericordiae, saluto nobilissimam animam tuam, ornatam pretiosissimis donis gratiarum et virtutum. Ave Maria.

Salutationes SS. Cordis Mariae.

(Ex S. Mechtilde, apud P. Eudes L. IV., c. IV, c. 1. coll. l. XI, § fin.)

Ave, Cor sanctissimum;
Ave, Cor mitissimum;
Ave, Cor humillimum;
Ave, Cor purissimum;
Ave, Cor devotissimum;
Ave, Cor sapientissimum;

1) Vide sup. pp. 494 seqq.

Digitized by Google

Ave, Cor patientissimum;
Ave, Cor obedientissimum;
Ave, Cor vigilantissimum;
Ave, Cor fidelissimum;
Ave, Cor beatissimum;
Ave, Cor misericordissimum;
Ave, Cor amantissimum Jesu et Mariae.

Te adoramus; te laudamus; te glorificamus; tibi gratias agimus; te amamus ex toto corde nostro, ex tota anima nostra, et ex totis viribus nostris. Tibi cor nostrum offerimus, donamus, consecramus, immolamus. Accipe et posside illud totum, et purifica, et illumina et sanctifica, ut in ipso vivas et regnes et nunc et semper, et in saecula saeculorum. Amen.

Salutatio SS. Cordis Mariae.

(Ex Antidotario animae typis edito an. 1495, apud P. Eudes l. VII. c. 2)

Loquar ad Cor tuum, o Maria, speculum claritatis angelicae! Loquar ad Cor tuum mundum, Domina mundi, et adorabo ad templum sanctum tuum, ab interioribus animae meae. Salutabo ex intimis praecordiis meis immaculatum Cor tuum, quod primum sub sole fuit dignum suscipere egredientem de sinu patris Unigenitum Dei.

Salve sanctuarium singulare, quod dedicavit sibi Deus in Spiritu sancto.

Salve Sanctum Sanctorum, quod dedicavit summus pontifex coelorum, mirabili et ineffabili introitu suo.

Salve arca sanctificationis, continens in te scripturam digiti Dei.

Salve urna aurea, habens coeleste manna plenum deliciis angelorum; in te dulce convivium, in te omnes deliciae, in te electuarium et sapor omnis gratiae.

Digitized by Google

Salve Cor virgineum, sanctae Trinitatis inviolabile sacrarium et nobilissimum receptaculum, in quo divinitas humanitati unita est per amoris osculum; jubilo sempiterno implearis.

Tu concha smaragdina, cujus viror nunquam expalluit, quae superno regi nostram salutem sitienti, probatissimae fidei dulce nectar propinasti, in illa hora qua ad salutationem Archangeli eructasti verbum bonum dicens: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Magnificet igitur omnis anima te, Maria mater dulcedinis, et beatitudinem tui sacratissimi Cordis (unde nostra profluit salus) collaudet omnis lingua, per aeterna saeculorum saecula.

O caminus ille, in quo ardent seraphim! O paradisus voluptatis! oh! quantis pulsibus amoris concussum est Cor tuum! Virgo beata, quum vivificus Spiritus Dei tanquam auster te perflavit et spiritum tuum totum sibi attraxit.

Sit benedictum in aeternum, o Maria! nobilissimum illud Cor tuum, omni sapientia coelesti decoratum et ardore caritatis inflammatum, in quo sacra conferens nostrae redemptionis mysteria, tempore congruo revelanda diligenter et fidelissime conservasti. Tibi laus, tibi amor, o Cor amantissimum! tibi honor, tibi gloria ab omni creatura, in saecula saeculorum. Amen.

Hymni in honorem SS. Cordis Mariae.

I.

Cerne devotos tibi, Virgo, coetus,
Quos juvat, totis animi medullis,
Inclyti laeto celebrare cantu
Cordis honores.

Digitized by Google

Cor sacrum gestans humilis Mariae,
Corde conceptum, Deiforme Verbum
Concinat noster chorus, et beatos
Matris amores.

Dum sinus divos Pater intuetur,
Concipit Cordis penetrale Natum,
Dives et verbum loquitur verendi
Lingua parentis.

Corde quod mater recipit capaci,
Patris arcanos imitata foetus;
Qualis acceptas animata voces
Concipit echo.

Cordibus flammas tepidis Maria,
Mitte, quas fornax vomit aestuantis
Pectoris, mentes rapiat tuorum
Coelicus ignis.

Perge bellaces animare cleros.
Ure languentes, revoca fugaces;
Omnibus primi redeant amores
Cordibus aevi.

Et redux nostram pietas revisat
Neustriam, dudum tibi dedicatam:
Prima conceptum venerata purum
Extulit aris.

Laus, honor, grates tibi praepotenti
Cordium regi, resonent in ore
Omnium, quales tibi Cor Mariae
Solvet in aevum. Amen.

Digitized by Google

II.

Parenti regis gloriae,
Matri misericordiae,
Laudes cum sanctis omnibus
Totis canamus cordibus.

Haec est inventrix gratiae,
Reparatrix miseriae,
Consolatrix moerentium,
Peccatorum refugium.

Tibi Deus clementiae,
O Virgo! mater pauperum,
Sacrum misericordiae
Dedit gazophylacium.

Thesauros omnes gratiae
In sinu tuo possides,
Bonis coelestis patriae
Terrarum ditas inopes.

Ad tuos ergo famulos
Dulces convertas oculos:
Vide fletus gementium,
Audi voces clamantium.

Peccatores non horreas,
Sed benigne respicias,
Sine quibus altissimi
Non fores mater filii.

O Maria! stella maris,
Per Cor tuum piissimum,
Redde placatum miseris
Cor Jesu clementissimum.

Digitized by Google

Oppressam mole criminum
Humanam vides sobolem:
Crudelem cernis daemonum
In hoc mundo tyrannidem.

Quot infelices animas,
Christi redemptas sanguine,
Sacro signatas flamine,
Trahunt sub orci tenebras?

Scis, quanta pro mortalibus
Tormenta tulit filius:
Tanta non sint inania
Tantis malis remedia.

Eja! te cuncti sentiant
Miserorum solatium:
Te miserante pereant
Turbae malorum omnium.

Jesu, Mariae gaudium,
Per sacra matris viscera,
Per genitricis ubera,
Fac te reis propitium.

Patri summae clementiae
Honor, virtus et gloria:
Matri misericordiae
Per saecula sit laus omnia. Amen.

Canticum laudis SS. Cordis Mariae.

Cantemus Domino, in toto corde nostro: gloriose enim magnificatus est in Corde Mariae.

Digitized by Google

Venite, accedamus ad Cor altum Deiparae Virginis: et exaltabitur Deus in cordibus nostris.

Accedamus ad sacri fornacem amoris: accendamur sanctis caritatis ejus flammis.

Benedicamus Cor mitissimum: laudemus, et superexaltemus Cor humillimum.

Benedicite, omnes angeli, Cor purissimum; benedicite, omnes sancti, Cor sanctissimum.

Benedicant coeli et terra Cor amantissimum: laudent et superexaltent Cor fidelissimum.

Omnis gloria filiae regis ab intus: diffusa est enim plenitudo caritatis in Corde ejus.

Paratum Cor ejus sperare in Domino, confirmatum est Cor ejus: Deus in medio ejus, non commovebitur.

Corde magno, et animo volenti fecit omnes voluntates Dei: ideo filium ejus prius in Corde, quam in ventre concepit.

Beatum Cor Virginis matris: echo animata Cordis aeterni Patris.

Eructavit Cor Patris verbum bonum: eructavit et Cor Matris verbum bonum.

Beatum pectus reginae coelorum: Verbi incarnati thronus et imperium.

In hoc excelso throno vide sedere virum: quem adorat multitudo angelorum psallentes in unum.

Ecce ubi imperii ejus nomen: est in aeternum.

Exultet Cor tuum, Virgo beata: in Deo salutari suo.

Qui respexit humilitatem ejus, et fecit ei magna qui potens est.

Secundum multitudinem dolorum Cordis tui: consolationes Dei laetificaverunt ipsum.

Sit benedictum in aeternum Cor tuum: quia diligentes te diligis: et thesauros eorum reples omnibus bonis.

Digitized by Google

Benedicat nos Jesus, Cor Mariae: benedicat nos Maria, Cor Jesu.

Et diligant Jesum et Mariam: omnia corda.

Benedicamus Patrem, et Filium, cum Sancto Spiritu: laudemus et superexaltemus eum regnantem in Corde Jesu et Mariae.

Paratum cor nostrum, Deus; paratum cor nostrum.

Ut cum Jesu et Maria faciamus omnes voluntates tuas: corde magno, et animo volenti.

Gloria Patri.

Invocationes SS. Cordis Mariae in forma Litaniarum propositae.

Litaniae pro die Dominico.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Jesu audi nos. — Jesu exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Cor sacratissimum Jesu, miserere nobis.
Cor sanctissimum Mariae,
Cor amantissimum,
Cor prudentissimum,
Cor fortissimum,
Cor justissimum,
Cor mitissimum,
Cor humillimum,
Cor purissimum,
Cor obedientissimum,
} Ora pro nobis.

Digitized by Google

Cor nobilissimum,
Cor liberalissimum,
Cor vigilantissimum,
Vas aureum, omni lapide pretioso ornatum,
Vas in honorem sanctificatum,
Vas admirabile,
Opus excelsi,
Echo Verbi incarnati,
Apotheca Spiritus sancti,
Favus mellis,
Cella vinaria regis,
Fons nectaris,
Requies divinitatis,
Triclinium sanctissimae Trinitatis,
Speculum divinarum perfectionum,
Cor matris Jesu dignissimum,
Cor matris nostrae studiosissimum,
Doloris gladio in passione Jesu transfixum,
Christi resurgentis apparitione exhilaratum,
Solatium exilii nostri,
Rex cordis nostri,
Propitius esto, parce nobis Jesu.
Propitius esto, exaudi nos Jesu.

} Ora pro nobis.

Per divinissimum Cor tuum,
Per Cor amantissimum beatissimae matris tuae,
Per sanctissimam vitam ejusdem Cordis sacratissimi,
Per maximum ejus contra peccatum odium,
Per insignem ejus mundi contemptum,
Per profundissimam ejus humilitatem,
Per mellifluam ejus benignitatem,
Per specialem ejus erga sibi devotos caritatem,
Per singularem ejus erga crucem affectum,

} Exaudi nos Jesu.

Digitized by Google

Per ardentissimam ejus in te dilectionem,
Per summum ejus in Patrem aeternum amorem,
Per piissima illius desideria,
Per amantissima illius suspiria,
Per sacros languores ipsius,
Per acerbissimos dolores ipsius,
Per temporalia et aeterna ejus gaudia,
Per eminentissimam ejus gloriam,
Per omnes purissimos illius affectus,
Per omnes sanctissimos illius motus,
Per excellentissimam ejus cum Corde tuo unionem,
Exaudi nos Jesu.

O pretiosissimum Cor Jesu et Mariae, thesaurus cordis nostri, posside cor nostrum in aeternum.

O amantissimum Cor Jesu et Mariae, vita cordis nostri, vive in corde nostro in aeternum.

O dilectissimum Cor Jesu et Mariae, Rex cordis nostri, regna super cor nostrum in aeternum,

Jesu Cor Mariae, audi nos.

Jesu Cor Mariae, exaudi nos.

Oremus.

Omnipotens Deus, qui beatissimae Virginis Mariae, Cor amantissimum, sacrarium divinitatis, thronum omnium virtutum, totiusque sanctitatis thesaurum esse voluisti; da nobis, quaesumus, ejusdem sanctissimi Cordis meritis et precibus, ipsius imaginem in corde nostro jugiter portare; ut, ejus imitatione, quae tibi sunt placita semper facientes, secundum Cor tuum in aeternum effici mereamur. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

Litaniae pro feria II.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Jesu, audi nos. — Jesu, exaudi nos.

Digitized by Google

Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Cor sacratissimum Jesu, miserere nobis.
Cor sanctissimum Mariae,
Cor unum cum Corde Christi,
Custos divini Verbi,
Clavis coelestis thesauri,
Ferculum Verbi increati,
Currus Jesu igneus,
Lectulus Dei floridus,
Hortus sponsi virginum,
Hortus florum coelestium,
Hortus conclusus,
Fons signatus,
Fons hortorum,
Puteus aquarum viventium,
Fons lucis et gratiae,
Fons aeternae vitae,
Fons olei sacri,
Fons vini deifici,
Fons lactis et mellis,
Fons omnis consolationis,
Fons perennis benedictionum,
Fons innumerorum bonorum,
Radius aeternae Deitatis,
Sanctuarium divinae Trinitatis,
Cor matris Jesu dignissimum,
Cor matris nostrae studiosissimum,
Doloris gladio in passione Jesu transfixum,
Christi resurgentis apparitione exhilaratum,

Ora pro nobis.

Digitized by Google

Solatium exilii nostri,
Rex cordis nostri,
Propitius esto. } Ora pro nobis.

(Caetera ut supra in litaniis d. Dominic.)

Litaniae pro feria III.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Jesu, audi nos. — Jesu, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Cor sacratissimum Jesu, miserere nobis.
Cor sanctissimum Mariae,
Cor innocentissimum,
Cor devotissimum,
Cor sapientissimum,
Cor clementissimum,
Effigies vera Cordis Christi,
Spes et laetitia cordis nostri,
Domus ignis,
Turris flammea salutis,
Turris David fortissima,
Castrorum acies ordinata,
Lampas sapientissimae virginis,
Lampas ignis atque flammarum,
Lampas inextinguibilis,
Lampas plena olei coelestis,
Armarium scripturarum,
Bibliotheca testamentorum,
Cella omnium aromatum, } Ora pro nobis.

Digitized by Google

Abyssus gratiae,
Thronus gloriae,
Reclinatorium aureum veri Salomonis,
Volumen caritatis,
Exemplum omnis perfectionis,
Cor matris Jesu dignissimum,
Cor matris nostrae studiosissimum,
Doloris gladio in passione Jesu transfixum,
Christi resurgentis apparitione exhilaratum,
Solatium exilii nostri,
Rex cordis nostri,
Propitius esto, etc., *ut supra.*

Ora pro nobis.

Litaniae pro feria IV.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Jesu, audi nos. — Jesu, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Cor sacratissimum Jesu, miserere nobis.
Cor sanctissimum Mariae,
Cor immaculatum,
Cor superangelicum,
Cor deificum,
Cor superseraphicum,
Cor Christigenum,
Cor deiferum,
Thesaurus vitae,
Domus sapientiae,
Cubiculum caritatis divinae,

Ora pro nobis.

Digitized by Google

Gazophylacium Ecclesiae,
Altare sempiterni thymiamatis,
Holocaustum divini amoris,
Caminus ignis coelestis,
Clibanus aeternae caritatis,
Thronus divinae voluntatis,
Lucerna ardens et lucens,
Arcana Dei custodiens,
Mysterium intrinsecus latens,
Omni creaturae absconditum,
Soli Deo cognitum,
Abyssus mysteriorum,
Abyssus immensarum Dei perfectionum,
Cor matris Jesu dignissimum,
Cor matris nostrae studiosissimum,
Doloris gladio in passione Jesu transfixum,
Christi resurgentis apparitione exhilaratum,
Solatium exilii nostri,
Rex cordis nostri,
Propitius esto, etc., *ut supra.*

Ora pro nobis.

Litaniae pro feria V.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Jesu, audi nos. — Jesu, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Cor sacratissimum Jesu, miserere nobis.
Cor sanctissimum Mariae, ora pro nobis.
Amore Dei vulneratum, ora pro nobis.

Digitized by Google

Rex omnium Martyrum,
Decus castitatis,
Honor virginitatis,
Schola divinarum scientiarum,
Officina coelestium gratiarum,
Officina omnium bonorum,
Paradisus deliciarum,
Ornamentum coeli pulcherrimum,
Rosa praefulgida coelicae amoenitatis,
Lilium candidum sanctae Trinitatis,
Aula regia summi imperatoris,
Basilica sacra mundi Salvatoris,
Sacellum Spiritus sancti,
Altare aureum ante thronum Dei,
Thuribulum aureum,
Phiala aurea coelestium odoramentorum,
Cythara benesonans Dei,
Echo Patris aeterni,
Cymbalum jubilationis Christi,
Organum Spiritus divini,
Psalterium jucundum coelestis chori,
Cor secundum Cor Dei,
Cor matris Jesu dignissimum,
Cor matris nostrae studiosissimum,
Doloris gladio in passione Jesu transfixum,
Christi resurgentis apparitione exhilaratum,
Solatium exilii nostri,
Rex cordis nostri,

Ora pro nobis.

Propitius esto, etc., *ut supra.*

Litaniae pro feria VI.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.

Digitized by Google

Jesu, audi nos. — Jesu, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Cor sacratissimum Jesu, miserere nobis.
Cor sanctissimum Mariae,
Rubus ardens et incombustus,
Thronus amoris igneus,
Margarita pretiosa,
Civitas Dei gloriosa,
Domus aurea omnipotentis,
Palatium aeterni regis,
Castrum inexpugnabile regum principis,
Propugnaculum christianae religionis,
Penetrale sacratissimum divini amoris,
Templum summi Pontificis,
Mons in vertice montium,
Coelum coelorum,
Sanctum sanctorum,
Candelabrum aureum,
Verum altare holocausti,
Arca testamenti,
Arca propitiationis,
Arca sanctificationis,
Tabula legis digito Dei scripta,
Vas aureum plenum manna,
Habitaculum Deo dignum,
Sanctuarium coelestium sacramentorum,
Abyssus miraculorum,
Cor ad omnia Deo placita paratum,
Cor matris Jesu dignissimum,

Ora pro nobis.

Digitized by Google

Cor matris nostrae studiosissimum,
Doloris gladio in passione Jesu transfixum,
Christi resurgentis apparitione exhilaratum,
Solatium exilii nostri,
Rex cordis nostris,
Propitius esto, etc., *ut supra.*

Ora pro nobis.

Litaniae pro die Sabbati.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Jesu, audis nos. — Jesu exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Cor sacratissimum Jesu, miserere nobis.
Cor sanctissimum Mariae,
Sol mundi,
Splendor firmamenti,
Tabernaculum Creatoris,
Requies Salvatoris,
Digna sedes Altissimi,
Gaudium Patris aeterni,
Deliciae Filii Dei,
Signaculum Spiritus sancti,
Regnum sanctae Trinitatis,
Sacrarium plenitudinis Divinitatis,
Armarium secretorum Dei,
Promptuarium mysteriorum fidei,
Liber vivus gestorum Christi,
Liber incomprehensus divini Verbi,
Memoriale Evangelistarum,

Ora pro nobis.

Digitized by Google

Evangelium aeternum,
Bibliotheca Apostolorum,
Thesaurus Sacerdotum,
Oraculum Ecclesiae nascentis,
Speculum clarissimum vitae Redemptoris,
Imago perfecta passionis et mortis ejus,
Origo totius sanctimoniae sacratissimae Virginis,
Principium omnis gloriae et magnitudinis ipsius,
Cor matris Jesu dignissimum,
Cor matris nostrae studiosissimum,
Doloris gladio in passione Jesu transfixum,
Christi resurgentis apparitione exhilaratum,
Solatium exilii nostri,
Rex cordis nostri,
Propitius esto, etc., *ut supra.*

Ora pro nobis.

Litaniae pro die festo SS. Cordis Mariae.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Jesu audi nos. — Jesu, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Cor Jesu sacratissimum, miserere nobis.
Cor Mariae sanctissimum,
Amator divinae voluntatis,
Zelator animarum salutaris,
Sedes misericordiae,
Propitiatorium justitiae,
Forma innocentiae,
Norma patientiae,

Ora pro nobis.

Digitized by Google

Solium veritatis,
Corona fidelitatis,
Fornax divini amoris,
Triumphus maternae dilectionis,
Miraculum caritatis,
Gloria sanctae crucis,
Centrum omnis sanctitatis,
Thronus omnium virtutum,
Paradisus evangelicarum beatitudinum,
Custos fidelis omnium donorum Spiritus sancti,
Compendium ineffabilium perfectionum Dei,
Summa divinorum oraculorum,
Sidus amantium,
Coetus nostri gaudium,
Regula cordium fidelium,
Cordis nostri praesidium,
Raptor cordium,
Cor matris Jesu dignissimum,
Cor matris nostrae studiosissimum,
Doloris gladio in passione Jesu transfixum,
Christi resurgentis apparitione exhilaratum,
Solatium exilii nostri,
Rex cordis nostri,
Propitius esto, etc., *ut supra.*

Ora pro nobis.

Litaniae pro die octava festi.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Jesu, audi nos. — Jesu, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.

Digitized by Google

Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Cor Jesu sacratissimum, miserere nobis.
Cor Mariae sanctissimum,
Speculum divini Cordis,
Gaudium sanctae Trinitatis,
Thesaurus Patris aeterni,
Thronus Filii Dei,
Triumphus Spiritus sancti,
Secretarium Evangelii,
Liber vitae,
Oraculum misericordiae,
Templum pacis,
Gloria filiae regis,
Principium salutis,
Seminarium pietatis,
Claustrum virtutum,
Thesaurus charismatum,
Coelum splendoris,
Firmamentum contemplationis,
Paradisus mansuetudinis,
Abyssus humilitatis,
Jubar fidei,
Columna spei,
Speculum caritatis,
Collegium sanctitatis,
Amoris signaculum,
Amoris oraculum,
Amoris vexillum,
Dux amantium,
Cor matris Jesu dignissimum,
Cor matris nostrae studiosissimum,
Doloris gladio in passione Jesu transfixum,

} Ora pro nobis.

Digitized by Google

Christi resurgentis apparitione exhilaratum,
Solatium exilii nostri,
Rex cordis nostri,
Propitius esto, etc., *ut supra.*

Ora pro nobis.

I. Officium parvum Purissimi Cordis Mariae.

AD MATUTINUM.

℣. Sancta Maria, Mater Dei, fac cor meum secundum Cor tuum.

℟. Amen.

℣. Sanctissima Mater Dei, dispone cor meum et labia mea.

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Domine, in adjutorium meum intende.

℟. Me de manu hostium potenter defende.
Gloria Patri.

Hymnus.

Jesu, Mariae gloria,
Cordis praeclara Virginis
Cor intonat praeconia:
Nostris adesto canticis.

Miranda Matris viscera,
Miranda sunt et ubera,
Regale sed Cor omnibus
Miraculis praestantius.

Quem sacra paucis mensibus
Portavit alvus parvulum,
Hunc Cor prius sacratius
Semperque gestat maximum.

Digitized by Google

O sacrosancta Trinitas,
Cordis Mariae sanctitas,
Aeterna vita cordium,
In corde regnes omnium. Amen.

Ant. Eructavit Cor Mariae Verbum bonum, quod lacte suo enutrivit, et pro totius mundi vita dicavit.

℣. Omnis gloria Mariae filiae regis ab intus.

℣. Quam supergressa est universas, quae congregaverunt divitias!

Oremus.

Deus, qui Unigenitum tuum tecum ab aeterno viventem in Corde Virginis Matris vivere et regnare voluisti, da nobis, quaesumus, hanc sanctissimam Jesu et Mariae in Corde uno vitam jugiter celebrare, cor unum inter nos et cum ipsis habere, tuamque in omnibus voluntatem corde magno et animo volenti adimplere, ut secundum Cor tuum a te inveniri mereamur. Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum.

AD PRIMAM.

℣. Sancta Maria, etc., *ut supra.*

℟. Amen.

℣. Domine, in adjutorium meum.

℟. Me de manu hostium, etc.
Gloria Patri.

Hymnus.

Ave, Cor admirabile,
Incomprehensa continens,
Vas Angelis spectabile,
Coeleste manna proferens.

Digitized by Google

Cor aula Regum Principis
Coelumque coeli splendidum,
Templum superni praesulis,
Altare pacis aureum.
O sacrosancta Trinitas, etc., *ut supra.*

Ant. Ager plenus odoris est Cor Mariae, in quo thesaurus Angelorum, imo et totus Dei Patris absconditus est. Felix qui vendit omnia quae habet, et emit agrum illum.

℣. Cor Mariae sacratissimum.

℟. Divino amore, quo aestuas, accende cor meum.

Oremus.

Deus, qui beatissimam Virginem Mariam supra omnes creaturas superiorem et Cordis Christi participem et imaginem perfectissimam esse tribuisti, concede nobis, quaesumus, sic Cor Mariae venerari, ut per ipsum Christo conformes fieri, et per ipsum in te ipso in unum consummari mereamur. Per eundem Dominum.

AD TERTIAM.

℣. Sancta Maria, etc., *ut supra ad Primam.*

Hymnus.

Arca quid hac sanctius,
Thesaurus orbis, omnia
Collata nobis coelitus
Servat Dei mysteria.

Pars nostra, spes et gaudium;
Coetusque nostri gloria,
Amor perennis omnium,
Jungat tibi praecordia.
O sacrosancta Trinitas, etc., *ut supra.*

Digitized by Google

Ant. Domum Dei decet sanctitudo. Cor Mariae: haec est domus Dei, sponsum ejus Christum habitantem in ea adoremus.

℣. Omnis Spiritus laudet Dominum:

℟. In Corde Mariae regnantem.

Oremus.

Corda nostra, Domine, Spiritus sanctus perfecte possideat, qui sanctissimae Filii tui Matris Cor vulnerando tanto caritatis inflammavit ardore, ut sicut in illa ad nutum operatus est, sic in nobis carnem nostram cum vitiis et concupiscentiis crucifigendo in sanctitate sua operari dignetur. Per eundem Dominum.

AD SEXTAM.

℣. Sancta Maria, etc., *ut supra.*

Hymnus.

Amor, Deus, Cor numinis,
Cor esto mentis unicum,
Amor regens Cor Virginis,
Rex esto solus cordium.

Amoris est miraculum,
Triumphus almi Spiritus,
Dignum Deo spectaculum,
Jucunda spes mortalibus.

O sacrosancta Trinitas, etc., *ut supra.*

Ant. O Maria, Mater Dei, Cor tuum est porta orientalis Domini, per quam ipse Dominus ad nos ingressus, per eandem nos ad se introire faciat.

Digitized by Google

℣. In Corde tuo, Sancta Maria, salus et vita consistunt:

℟. Laetitia sempiterna et aeternitas gloriosa.

Oremus.

Deus, qui Cor Mariae ab omni prorsus labe purum virtutibus omnibus ornatum esse voluisti, dignare, quaesumus, ab omni nos peccato liberare, et gratiis ac virtutibus abundanter replere. Per eundem Dominum.

AD NONAM.

℣. Sancta Maria, etc., *ut supra.*

Hymnus.

Quid Corde Matris Virginis
Coli potest sàcratius;
Cordi supremi numinis,
Quid Corde tanto gratius?

Levamen est lugentibus,
Zelator ardens mentium,
Cunctis datum fidelibus,
Cor, vita, lux, oraculum.

O sacrosancta Trinitas, etc., *ut supra.*

Ant. O sacrum Cor Matris Dei, tu es Sancta Sanctorum, per quam Sol justitiae et Pontifex noster secundum ordinem Melchisedech ingreditur et egreditur. Thalamus Regis gloriae, quo jungitur Ecclesiae.

℣. Fac nos, Domine, amare Virginem Matrem tuam;

℟. Quam nobis ipse sic amantissimam Matrem dedisti.

Digitized by Google

Oremus.

Jesu dulcissime, qui Virginem sanctissimam amore tanto prosequeris, tantoque vicissim ab illa diligeris, praesta, quaesumus, ut sicut amore tenerrimo simul et ardentissimo tecum ab illa diligimur, te cum illa ardentissimo pariter atque tenerrimo amore prosequamur. Per eandem Matrem omnium suavissimam et tui Cor illius simillimum, qui vivis et regnas.

AD VESPERAS.

℣. Sancta Maria, etc., *ut supra.*

Hymnus.

O qualis haec benignitas,
Nostrum sibi cor abstulit,
Matris Patrisque caritas,
Suumque nobis contulit.

Vos proles sacra pectoris,
Sic vos amantum noscite
Tantae decus propaginis,
Et corda Cordi tradite.

Res mira! mortis spurios
Dant Cordis esse filios,
Tantos favores pendite,
Vices amoris reddite.

O sacrosancta Trinitas, etc., *ut supra.*

Ant. Sanctissima Virgo, da nobis Cor tuum in pignus amoris, et in locum refugii, ut semper, maximeque in hora mortis nostrae, consolationem et requiem in illo inveniamus.

℣. Infunde gratiam de thesauris Cordis tui.

Digitized by Google

℟. Succurre nobis in fine, et inveniemus vitam aeternam.

Oremus.

Sancta Maria, Mater Domini Nostri Jesu Christi et mundi Domina, quae nullum derelinquis et nullum despicis, respice me, Domina, clementer oculo pietatis, et impetra mihi apud tuum dilectum Filium cunctorum veniam peccatorum, ut qui nunc sancti et immaculati Cordis tui laudes et merita devoto affectu recolo, aeternae beatitudinis bravium capiam, ipso quem Virgo peperisti, donante Domino Nostro Jesu Christo, qui vivit.

AD COMPLETORIUM.

℣. Sancta Maria, etc., *ut supra.*

Hymnus.

Cordis Patris mirabilem
In corde vitam pingite,
Cordisque Matris nobilem
In mente formam sculpite.

O Cor Dei triclinium,
O exulis solatium,
Immensa sunt magnalia,
Immensa sunt praeconia.

O sacrosancta Trinitas, etc., *ut supra.*

Ant. Benedictum sanctissimum Cor tuum, in quo inscripta sunt electorum nomina, et in quo, o Maria! fac ut meum quoque penitus inscribatur.

℣. O pretiosissimum Cor Mariae, vita cordis nostri:

℟. Posside cor nostrum in aeternum.

Digitized by Google

Oremus.

Domine Jesu, qui singulari beneficio hominum curam sumere dignatus es, Cor plenum amoris pro illorum salute sanctissimae Matri tuae impertiendo, cor plenum venerationis et amoris, vel potius Cor tuum et Cor Mariae nobis impertire, ut in aeternum illam cum tuo Corde, et te cum Corde sacratissimae Matris tuae diligere possimus. Hanc gratiam concede, qui vivis.

CAPUT IV.

PIETATIS EXERCITIA, VARIIS IN LOCIS EPISCOPIS RITE PROBANTIBUS EDITA.

II. Officium parvum Purissimi Cordis Mariae *cum Litaniis.*

AD MATUTINUM.

Cor Mariae flagrans amore mei, inflamma cor meum amore tui.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri.

Hymnus.

Jesu, Mariae gloria,
Miranda Cordis Virginis
Cor inchoat praeconia:
Nostris adesto canticis.

Digitized by Google

Quid Corde Matris Virginis
Cani potest suavius?
Quid Corde Matris numinis
Cani potest augustius?

Per Cor Matris purissimum,
Templum Dei dignissimum,
Jesu Tibi sit gloria
In sempiterna saecula. Amen.

Ant. Ego Mater pulchrae dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctae spei. In me gratia omnis viae et veritatis, in me omnis spes vitae et veritatis, in me omnis spes vitae et virtutis.

℣. Benedictum sit in aeternum Christi Cor sanctissimum.

℟. Et laudabile Cor etiam Mariae.

Oremus.

Clementissime Deus, qui ad miserorum omnium salutem et totius mundi refugium immaculatum et sanctissimum Cor Mariae divinissimo Cordi Filii sui caritate et misericordia simillimum esse voluisti: concede, ut, qui suavissimi hujus et vere materni Cordis memoriam agimus, ejus intercessione et meritis secundum Cor tuum inveniri mereamur. Per eundem D. N. J. Ch.

AD LAUDES.

Cor Mariae flagrans amore mei, inflamma cor meum amore tui.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri.

Digitized by Google

Hymnus.

Quam sancta Matris viscera!
Quam sancta sunt et ubera!
Regale sed Cor omnibus
Miraculis praestantius.

Ave Cor admirabile,
Thesaurus orbis, omnia
Collata nobis coelitus
Servans Dei mysteria.

Per Cor Matris purissimum,
Templum Dei dignissimum,
Jesu tibi sit gloria
In sempiterna saecula. Amen.

Ant. ℣., ℟., Oratio, *ut supra.*

AD PRIMAM.

Cor Mariae flagrans amore mei, inflamma cor meum amore tui.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri.

Hymnus.

Cor labis expers patriae,
Cor labis expers propriae,
Fons puritatis integrae,
Omnisque sedes gratiae!

Digitized by Google

Te candidata lilia,
Nardus rosaeque fulciunt:
Te mala coeli dulcia,
Amore languens, ambiunt.

Per Cor Matris purissimum,
Templum Dei dignissimum,
Jesu tibi sit gloria
In sempiterna saecula. Amen.

Ant. ℣., ℟., Oratio, *ut supra.*

AD TERTIAM.

Cor Mariae flagrans amore mei, inflamma cor meum amore tui.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri.

Hymnus.

Cor aula Regum Principis,
Dignum Dei sacrarium,
Arca superna foederis,
Altare pacis aureum!

Tu fons perennis gratiae,
Spes et salus clientibus:
Tu sinus indulgentiae,
Portusque naufragantibus.

Per Cor Matris purissimum,
Templum Dei dignissimum,

Digitized by Google

Jesu tibi sit gloria
In sempiterna saecula. Amen.

Ant., ℣., ℟., Oratio, *ut supra.*

AD SEXTAM.

Cor Mariae flagrans amore mei, inflamma cor meum amore tui.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri.

Hymnus.

Cor melle dulci dulcius,
Coeleste manna proferens,
Cor sole puro purius,
Incomprehensa continens!

Tu sanctitatis formula,
Vitae Dei compendium,
Cordis fidelis regula,
Jesu cubile floridum.

Per Cor Matris purissimum,
Templum Dei dignissimum,
Jesu tibi sit gloria
In sempiterna saecula. Amen.

Ant., ℣., ℟., Oratio, *ut supra.*

AD NONAM.

Cor Mariae flagrans amore mei, inflamma cor meum amore tui.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri.

Digitized by Google

Hymnus.

Cor Matris ardentissimum,
Jucunda spes mortalium,
Pars nostra, vita, gaudium,
Dulcedo, lux, solatium!

Sidus micans amantium
Sol esto, duxque mentium.
Fornax amoris, omnium,
Accende flammas cordium.

Per Cor Matris purissimum,
Templum Dei dignissimum,
Jesu Tibi sit gloria
In sempiterna saecula. Amen.

Ant. ℣., ℟., Oratio, *ut supra.*

AD VESPERAS.

Cor Mariae flagrans amore mei, inflamma cor meum amore tui.

℣. Deus in adjutorium meum intende.
℟. Domine ad adjuvandum me festina.
Gloria Patri.

Hymnus.

Cor Matris ad Cor Filii
Amoris ardens impetu
Non desinente anhelitu
Suspirat oblitum sui.

Utrumque amoris vinculum
Conjungit arctis nexibus:
Hoc ardet hujus ignibus,
Ignemque reddit aemulum.

Digitized by Google

Per Cor Matris purissimum,
Templum Dei dignissimum,
Jesu tibi sit gloria
In sempiterna saecula. Amen.

Ant., ℣., ℟., Oratio, *ut supra.*

AD COMPLETORIUM.

Cor Mariae flagrans amore mei, inflamma cor meum amore tui.

℣. Deus in adjutorium meum intende.

℟. Domine ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri.

Hymnus.

Dei parentis optimae
Cor! o precamur, impetres,
Quo tu flagrasti maxime,
Nostris amorem cordibus.

Hoc sontis Evae filios
Nunc Virgo Corde protege:
Hoc et tuos jam filios
Mortis sub horam suscipe.

Per Cor Matris purissimum,
Templum Dei dignissimum,
Jesu tibi sit gloria
In sempiterna saecula. Amen.

Ant., ℣., ℟., Oratio, *ut supra.*

Litaniae de dulcissimo Corde Mariae.

Kyrie eleison. — Christe eleison. — Kyrie eleison.
Jesu, audi nos. — Jesu, exaudi nos.
Pater de coelis Deus, miserere nobis.

Digitized by Google

Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Cor Mariae sine labe originali conceptum,
Cor Mariae ab omni actuali peccato purum,
Cor Mariae omni virtute et gratia plenum,
Cor Mariae sanctitatis regula,
Cor Mariae per mysterium annuntiationis tabernaculum Dei factum,
Cor Mariae per mysterium visitationis novis gratiis cumulatum,
Cor Mariae ex intima apud te incarnati Verbi praesentia per novem menses recreatum,
Cor Mariae in partu Jesu Filii tui ineffabili gaudio inundatum,
Cor Mariae in praesentatione Filii in templo per prophetiam Simeonis doloris gladio transfixum,
Cor Mariae ex triduana Jesu amissione magnis doloribus affectum,
Cor Mariae ex ejusdem inventione mira laetitia perfusum,
Cor Mariae, quando Jesus tibi valedixit, afflictissimum,
Cor Mariae ex tristitia Filii tui in olivarum horto summe contristatum,
Cor Mariae in flagellatione innocentissimi Jesu totidem ictibus vulneratum,
Cor Mariae spineae coronae aculeis compunctum,
Cor Mariae onere crucis gravatum,
Cor Mariae cum crucifixo Filio pariter cruci affixum,
Cor Mariae omnium dolorum Jesu specialiter particeps effectum,
Cor Mariae in morte Filii tui prope crucem dolorum oceano obrutum,

Ora pro nobis.

Digitized by Google

Cor Mariae mortuo Jesu consepultum,
Cor Mariae ob tot peccata hominum afflictissimum,
Cor Mariae, Jesu resurgente, gaudio redivivum,
Cor Mariae in ascensione Jesu ineffabili dulcedine repletum,
Cor Mariae in descensu Spiritus sancti nova gratiarum plenitudine cumulatum,
Cor Mariae in gloriosa assumptione super omnes beatos spiritus exaltatum,
Cor Mariae causa nostrae laetitiae,
Cor Mariae salus infirmorum,
Cor Mariae solatium omnium miserorum,
Cor Mariae refugium peccatorum,
Cor Mariae cultorum tuorum spes ac dulce praesidium,
Cor Mariae agonizantium robur,
Cor Mariae animarum purgantium refrigerium,
Cor Mariae militantis Ecclesiae scutum,
Cor Mariae Angelorum et Sanctorum omnium jubilus,
Cor Mariae habitaculum Spiritus sancti,
Cor Mariae deliciae Jesu Filii tui,
Cor Mariae Cor secundum Cor aeterni Patris,

} Ora pro nobis.

Agnus Dei, etc., parce nobis Domine.
Agnus Dei, etc., exaudi nos Domine.
Agnus Dei, etc., miserere nobis.

℣. Dignare me laudare Cor tuum, Virgo Maria!

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Oremus.

Sancte Spiritus, qui omnia bonitatis charismata in uno Mariae Virginis Corde tanquam immenso gratiarum mari mirabiliter congregasti, et illud divinitatis tuae dignissimum habitaculum effecisti, concede propitius, ut in hoc sponsae

Digitized by Google

tuae dulcissimo Corde tutissimum refugium nunc et in omnibus nostris necessitatibus, demum et in hora mortis invenire valeamus. Qui cum Patre et Filio vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Aspirationes ad SS. CC. Jesu et Mariae.

Jesu Pater dulcissime
Cor meum totum posside;
Cum tuo Corde colloca
In tuo, Jesu, latere.

Virgo Mater dulcissima,
Cor meum totum posside;
Cum tuo Corde colloca
In tui Jesu latere.

APPENDIX AD II. PARTEM.

DE IMAGINE ATQUE INVOCATIONE B. M. V. SUB TITULO

NOTRE DAME DU SACRÉ COEUR.

LITERAE EMI. SECRETARII S. ROM. ET UNIVERS. INQUISITIONIS AD EPISCOPUM PREMISLIENSEM LATINORUM.

Illme. ac Rme. Dne. uti Frater. Supplici libello per Nuntium apostolicum Vindobonensem SSmo. Dno. Nro. Pio Papae IX. oblato ac commendato, exponebat Amplitudo Tua, in ista dioecesi Premisliensi latinorum, sicuti in tota Polonia vigere ac florescere devotionem erga Bmam. virginem incarnati Verbi Matrem immaculatam, piaque sodalitia in ejus honorem approbata frequenter fuisse inducta, quae inter recen-

Digitized by Google

tissime erectum illud sic dictum: *Notre Dame du Sacré-Coeur*, a Sede Apostolica indulgentiarum favoribus ditatum plurimos inibi numerare asseclas. Addebat insuper Ipsam cum gaudio accepisse mox factam versionem gallicae invocationis, quae genio linguae polonicae quam maxime respondens sonat idem ac *Mater Cordis Jesu*, adnotans per eam optime occurri erroneae ac periculosae quorumdam versioni in idem idioma quae invocationi *Regina Cordis Jesu* responderet. Quibus praejactis rogat Eadem Amplit. Tua, ut genuinae ac pietati congruae versioni seu invocationi polonica lingua ut supra expressae indulgentiae gallicae invocationi *Notre Dame du Sacré-Coeur* iam concessae et in posterum concedendae applicari valeant.

Porro Emi. Patres Cardinales una mecum Inquisitores Generales, quibus rei cognitio a SSmo. Dno. Nro. commissa est, haud potuerunt quin ex hujusmodi expositione deprehenderent ac laudarent zelum et studium Amplit. Tuae in protuenda fidei puritate, quae identidem, praesertim hisce diebus, a viris, utut piis, sed nimio forsan novitatis amore abreptis, incaute posthaberi videtur, haud perpendentes periculum ne doctrinis variis ac peregrinis rudium saltem fidelium mentes a recto pietatis ac devotionis sensu facile abducantur. Cui sane ut occurreret alias iam suprema haec S. Congregatio, ipso auctorante Pontifice reprehendendos ac monendos censuit eos, qui memorati sodalitii titulum explicare ejusque sensum illustrare adlaborabant, Ecclesiae traditioni, rectoque catholico sensui haud plene cohaerentes, praedicatum potentiae B. M. Virginis ex ejus divina maternitate emanans plus aequo extollebant, et novum ita magnificabant titulum, quasi novus celsitudinis ac gloriae cumulus hactenus ignotus Virgini ex eo accesserit, et quasi in eius sublimis dignitatis notione, qualem hucusque iuxta SS. Patrum doctri-

Digitized by Google

nam tenuit Ecclesia aliquid desideraretur; haud considerantes quod quamvis plurimum ipsa apud Filium valeat, attamen pie asseri nequit, quod imperium super eodem exerceat. Hoc sane sensu Apostolica Sedes titulum *Notre Dame du Sacré-Coeur*, haud improbandum censuit, eo quod Christi fideles hac formula eam invocant, ut eorum Dominam. Huc quoque se refert decretum iam editum, quo instantibus probari titulum verbis polonis redditum, quae significabant: *Regina Cordis Jesu*, praescriptum fuit servandam esse invocationem gallicam: *Notre Dame du Sacré-Coeur*, sub quocunque idiomate. Huc demum subsequens Pontificis mandatum, ut simulacra seu picturae cultui dicandae repraesentare debeant Virginem, puerum Jesum non ante genua, sed ulna gestantem. Quae quidem innuisse iuverit, ut plene perspiciatur Sedis Apostolicae sollicitudo ac vigilantia, nedum in damnandis ac proscribendis erroribus qui palam catholicis veritatibus opponuntur, sed et in reprobandis commentis ac sententiis, quae de hoc aliisque id genus argumentis prodeuntes, doctrinae puritatem obumbrare vel leviter videantur.

Caeterum Tuae petitionis obiectum quod attinet, scias, nihil impedimento esse, quominus sodalitium isthinc erectum eiusdem indulgentiarum thesauri particeps fiat, quo principale Issodouni ditatum fuit, dummodo tamen sensus tituli gallici: *Notre Dame du Sacré-Coeur*, fideliter respondeat. Haec ex amplissimi Ordinis mente plene a SSmo. Dno. Nro. probata Amplit. Tuae praescribenda lubenter habui. Ad me quod attinet, impensos animi mei sensus testatos tibi volo, dum fausta omnia ac felicia a Domino precor.

Romae, die 28 Februarii 1875,

Amplit. Tuae Addictissimus uti frater C. Card. Patrizi.

Digitized by Google

LIBER IV.

LITERARIUS.

INDEX

PRAECIPUORUM AUCTORUM, QUI DE CULTU SS. CORDIS JESU ALIQUID COMMENTATI SUNT.

Digitized by Google

Quas habuimus hujus indicis conficiendi rationes, breviter expositas vide supra pp. 347 seqq. In tanta vero ac paene infinita auctorum multitudine, quae novorum librorum repente emergentium accessione in dies augetur, si, ut fieri amat, uspiam offendisse, si quem librum, qui huic catalogo inscribendus esset, praeteriisse videbimur, id nemo indiligentiae tribuat, nemo in malam partem accipiat, sed potius admoneat nos, auctiorem correctioremque indicem, si opus fuerit, daturos. Caeterum si quis et multo eruditior et ampliore instructus librorum copia ad idem argumentum cumulate exornandum, nobis praeeuntibus ac provocante exemplo, curas adjecerit, satis hoc erit, cur non poenitendos laboris fructus nos existimemus percepisse.

Digitized by Google

PARS I.

SCRIPTA B. MARGARITAE MARIAE ALACOQUE.

Vie et oeuvres de la bienheureuse Marguerite-Marie Alacoque. 2 vol. in 8°. Paray-le-monial (Saône-et-Loire), au monastère de la Visitation. Paris. Poussielgue 1867.

Quae ad commendationem operum B. Margaritae Mariae maxime valent, exhibuimus supra ex Decreto S. R. C. pp. 405 seqq. Sed iis etiam non exiguum pretium accedit ex intimo illo nexu, quo ea, quae ad vitam Beatae pertinent, cum cultu Sanctissimi Cordis Jesu cohaerent. Quare a proposito nostro alienum non erit, ea de re unum alterumve testimonium hoc loco subjicere.

„*Quum tanta in Deum et proximum caritate aestuaret, mirum non est, si ipsam Christus Dominus elegerit, ut immensi amoris sui in homines mirabili praeconio fungeretur. Quod ven. mulier praestitit maxime, quum, prout coelitus admonita acceperat, ad Sacratissimi Cordis Jesu venerationem fideles omnes inflammare sategit. Felix, cujus nomen ita cum alio illo sanctissimo conjunctum fuit, ut simul cum Corde Servatoris Divini Mariae Margaritae compellatio apud posteros personaret, et alterum in animis hominum memoriam excitaret alterius.*“ (Postulatores in causa Beatificat. ven. Marg. Mariae an. 1864.)

„*A beatificatione hujus venerabilis servae Dei instituta erga Reparatoris nostri Cor amantissima devotio*

Digitized by Google

latius proferetur et fidelium cordibus haerebit altius, atque ita multorum, quae refriguit, caritas divini amoris igne rursus exardescet. — Insuper aetate nostra eo devenit hominum scelus, ut non pauci, daemonum astus aemulati, teterrimo odio prosequantur Deum, atque ab omnium animis vel ejus ideam evellere adnitantur. Ut superbos hosce Deus confunderet, exeunte saeculo XVII. sanctimonialem nostram excitavit, quae omnibus ignota, non persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed per ostensionem spiritus, Jesu Christi Cor omnibus exhibuit, ut omnium corda divinae caritatis flamma succenderet. Nunc vero, quaquaversus quum abundet iniquitas, dilectam hanc suam sponsam Jesus ipse ad altiora vocat, quo sublimius elata aeterni amoris ignem latissime diffundat." (Votum Promotoris Fidei an. 1864.)

„*Ecquis pium cultum Sacratissimi Cordis Jesu exercet, quin simul occurrat memoria et nomen B. Margaritae Mariae, quae tam impenso studio ad ejus propagationem intendit? Imo ex canonizatione beatae mulieris permulti ex praestantissimis viris, qui supplices dedere preces, augurantur maxima bona Ecclesiae Dei obventura, eo quod actus ille solemnis plurimi valebit, ut fideles ad hunc cultum excitentur vehementius, scilicet inflammentur ad caritatem erga Dominum Nostrum, quae si profundas radices egerit in cordibus hominum, optima quaeque fausta et salutaria fas erit polliceri et ominari. Odium, quo increduli et impii Christum prosequuntur, peperit haec mala quae videmus et patimur; inflammata caritas in ipsum potest mederi malis, instaurare quae lapsa sunt, pessimam rerum faciem in bonam convertere.*" (Postulatores causae Canonizat. an. 1866.)

Digitized by Google

PARS II.

EPHEMERIDES DE SS. CORDE JESU.

Peculiaribus libellis menstruis integrum hoc argumentum diligenter excolunt:

Ramière S. J. Le Messager du Coeur de Jésus. Bulletin mensuel de l'Apostolat de la prière. Paris. Lecoffre. Toulouse, rue des fleurs, 22.

Malfatti S. J. Der Sendbote des göttlichen Herzens Jesu. Monatschrift des Gebets-Apostolats. Innsbruck. Felician Rauch.

Göbbels. Der Sendbote des göttlichen Herzens Jesu. Mit Benützung des deutschen, englischen und französischen Sendboten für die Deutschen Amerikas ergänzt und herausgegeben von Joseph Göbbels, Pfarrer der St. Augustinus-Kirche in Covington, Ky., und Direktor des Gebets-Apostolats für die Deutschen Nordamerikas. Cincinnati. Mecklenbourg und Rosenthal.

(Maresca B^{a}) Il Messaggere del Sacro Cuore di Gesù. Bullettino mensuale dell'Apostolato della preghiera; Lega del Cuor di Gesù. Bologna. Uffizio del Messaggere del S. C. di G. Strada San Mamolo.

Digitized by Google

Morgades y Gili. El Mensajero del Sagrado Corazon de Jesus. Boletin mensual del Apostolado de la oracion bajo la direccion del R. P. E. Ramière de la Compañía de Jesus. Traducido al español y arreglado á las costumbres y necesidades de España, con permiso de su Autor. Por el Dr. D. José Morgades y Gili, Canónigo Penitenciario de esta Santa Iglesia y Director central de esta obra en España. Barcelona. Librería de la Viuda é Hijos de J. Subirana.

(Sucona.) Revista de la devocion a los purísimos corazones de Jesus y Maria. Sale a luz todos los meses bajo los auspicios y aprobacion del M. I. Sr. Vicario Capitular del arzobispado de Tarragona. Tarragona. Imp. de Puigrubi y Aris.

Tamayo. El Mensajero del Sagrado Corazon de Jesus, Boletin mensual del Apostolado de la Oracion bajo la direccion del Doctor Eulogio Tamayo, Director central de esta obra en Colombia. Bogota. Imprenta de „*El Tradicionista.*“

(España S. J.) El Mensajero del Sagrado Corazon de Jesus. Boletin mensual del Apostolado de la oracion. Acomodado á las necesidades de estos paises, con autorizacion del autor P. E. Ramière de la Compañía de Jesus Leon. *(de Nicaragua).* Imprenta del istmo.

J. Rodrigues Cosgaya. O mensageiro do Coração de Jesus. Boletim mensal do apostolado da oração. Liga do Coração de Jesus sob a direcção do Pe José Rodrigues Cosgaya, doutor em sagrada theologia. Ordenado segundo os costumes e necessidades de Portugal. Assigna-se no Porto, na Livraria Catholica Portuense, praça de D. Pedro n.º 131 e na praça de Santa Thereza n.º 47.

Digitized by Google

Echo de Roma e do Apostolodo do S. Coração de Jesus. Boletin. Mensal. Lisboa. Livraria Catholica.

Silva Ramos. Estrella d'Alva. Publicação mensal sob a Direcção do Doutor Luiz Maria da Silva Ramos. Assigna-se: em Braga em Casa do Administrador Padre José Maria Vieira da Rocha. Braga. Typographia Luzitana. Rua nova, n^{0}. 3.

Maher S. J. The Messenger of the Sacred Heart of Jesus. Organ of the Apostleship of Prayer. London. Burns and Oates.

(Sestini S. J.) The Messenger of the Sacred Heart of Jesus. A Monthly Bulletin of the Apostleship of Prayer. John Murphy et Co. Baltimore.

De Bode van het heilig Hart van Jesus. Maandelijksch Tijdschrift van het Apostelschap des Gebeds en van het Aartsbroederschap van het h. Hart naar den Eerw. P. Ramière priester van de Societeit Jesu. In het Vlaamsch overgebracht met toelating van den schrijfver. Gent. Vander Schelden.

Pierik S. J. Maandrozen ter eere van het h. Hart van Jesus en ter verbreiding van het Apostolaat des Gebeds, onder Redactie van R. J. Pierik S. J. Amsterdam. Beerendonk.

Kubinszky. Társulati értesitő mint Jézus sz. Szivének Hirnöke. Kalocsán. Holmeyer.

Mathon O. S. B. Škola Božského Srdce Páně. Mesíčný list apostolátu modlitby a bratrstev v Čechách, na Moravě a ve Slezsku. Rajhrad (na Moravě).

Stojałowski S. J. Apostolstwo Serca Jezusowego. Krakow.

Digitized by Google

Accedunt:

Ricard. Les petites annales du S. Coeur de Jésus. Revue mensuelle. Paris. Vaton.

Drevon S. J. Correspondance des associés de la communion réparatrice. Revue trimestrielle. Avignon.

Annales de N. - D. du Sacré - Coeur. Revue mensuelle. Issoudun. Missionnaires du Sacré-Coeur. (Indre.)

Perzager O. S. B. M. V. Monatrosen d. Gebetsvereines U. L. Frau vom hl. Herzen. Innsbruck. Vereinsbuchhandlung.

Relatorio do Apostolado da oração e devoção ao Sagrado Coração de Jesus. Lisboa. Imprensa de Joaquim Germano de Sousa Neves.

The monitor of the association of Prayer. A Monthly. London. Washbourne.

Jannssen. Kleiner Herz-Jesu-Bote. Paderborn. Bonifacius-Druckerei.

Correspondenz des (Innsbrucker Conviktoren-) Priestervereines unter dem Schutze des göttlichen Herzens Jesu.

Digitized by Google

PARS III.

PRAECIPUI LIBRI DE SS. CORDE JESU AGENTES.

PRAEMONITUM IN INDICEM LIBRORUM.

Exhibituris nobis indicem librorum tria haec quam brevissime praemonenda esse existimamus: *primum*, quod in percensendis auctoribus illos asterisco * notavimus, qui vel aperte contra cultum SS. Cordis Jesu disputarunt vel saltem ejus rationes perverse sunt interpretati; *alterum*, quod in enumerandis operibus necessariam brevitatem sequendo, nisi specialis causa subesset, vetustioribus tantum tempus adscripsimus, quo primum edita in lucem sunt; *tertium* denique, quod innumeras epistolas pastorales, ab Episcopis ex occasione festi saecularis SS. Cordis Jesu de consecratione eidem mysterio facienda editas atque ab ephemeridibus relatas, taciti praeterimus.

CAPUT I.

LIBRI LATINI.

Acta et Decreta Conciliorum provincialium de religione SS. Cordis Jesu promovenda. *Vide supra pp. 206 seqq. et pp. 835 seqq.*

Digitized by Google

Drużbicki S. J. Meta cordium Cor Jesu. *Vide supra pp. 180—181 et pp. 726—728.*

Acta Congregationis Florentinae. *Vide supra p. 226, not. 3.*

* Acta et Decreta Synodi Pistoriensis. *Eod. l. not. 4.*

* Amerista. *Vide sup. p. 296.*

Aguirre J. Bapt. S. J. († 1786). De culta Sacratissimi Cordis Jesu. *Vide Fita:* Biblioteca, suplemento 4⁰. in Mensaj. XIX. (Jun. 1875), p. 349.

Analecta Juris Pontificii. *Vide supra p. 176 et alibi passim.*

Anyés. Septem horae precariae ad Christi Cor, perstringentes praecipuos Passionis Domini actus ab ejus captione in sepulturam. Valentiae. Mey. 1550. *Vide supra pp. 477—478, et pp. 715—717.*

Arnoldus S. J. De imitatione Sanctissimi Cordis Jesu. Einsiedeln. Benziger.

Beaumont. Officium Sacri Cordis Jesu. Parisiis 1778. *Vide supra p. 421.*

Beluš S. J. Officium parvum. *Vide supra p. 753.*

Binet S. J. *Vide* Luzvic.

* Blasius. Dissertatio commonitoria, cum aliis ejusdem auctoris opusculis. *Vide supra pp. 295—296.*

Bonucci S. J. Anatome Cordis Christi Domini lancea perfossi, duobus libris comprehensa [1]). Romae. Bernabò. 1703.

Rmus. de Borghi, *Causae Beatificationis B. Margar. Mar. Alacoque postulator pervigil, ut eum eleganter*

1) Librum *„penes Brasilos pro Christo a patrio coelo longe procul extorris"* scripsit. (Praefat.)

Digitized by Google

Acta appellant, in suis scripturis apud S. R. C. propositis cultum SS. Cordis Jesu modis omnibus illustravit. Ex iis praeter alia in rem nostram adhibuimus quae habentur supra pp. 176 et 1023.

Boza y Solis Hieron. Bern. S. J. Sacratissimi Cordis Jesu Laurea theologica, animadversionibus in Antirrhetica et Epistolas anonymas illustrata. Opus posthumum Bernardini Solicii, Doctoris Theologi. Venetiis. Bettinelli. 1774 [1]).

B. Pet. Canisius S. J. Preces editae tum a P. Perwekoven tum a P. Ramière. *Vide supra p. 179.*

Caraffa, Praeposit. General. S. J. Seraphinus seu schola sancti amoris. Monachii. Wagner. 1659.

— — Fasciculus myrrhae sive Considerationes variae de vulneribus Christi. Monachii. Straub. 1646. *Vide supra p. 367. — Eximii hujus operis varias easque praecellentissimo auctore dignas versiones ex originali italico refert* de Backer: Bibliothèque des écrivains d. l. C. d. J. tom. 1. p. 1075, edit. 2.

Cenomanensis theologia, tom. 2. de incarnatione, edit. an. 1834, pp. 207 seqq.

Clorivière S. J. († 1820). Societatis Cordis Jesu specimen. s. l. s. a. *De Backer, eod. l. p. 1306.*

Czerniewicz Stanisl. Praep. V. Gen. Soc. J. Literae encyclicae. *Vide supra pp. 193 seqq.*

---

1) P. Boza, e patria expulsus, in Italiam migravit, ibique cum suis in religione exilioque sodalibus, nominatim cum PP. Aguirre, Gadea, Guevara, Gener, Idiaquez, Marquez, Ordeñana, Requeno y Vivès causam SS. Cordis Jesu magno conatu studioque egit.

Digitized by Google

Eberlein. Pericardium Cordis Jesu, seu practica devotio ad Cor Jesu. Continens in se omnia pietatis exercitia, quae amatori ejusdem SS. Cordis tum in vita, tum in morte convenire possunt. Opera et studio Michaelis Leontii Eberlein, SS. Th. et SS. Can. Doct. Not. Apost. et Parochi in Sarmenstorff. Tugii. Typogr. Muosiana. 1708. *Vide supra pp. 548 et 738 seqq.*

Eudes. Officium SS. Cordis Jesu. *Vide supra p. 469.*

Exercitia pietatis erga sanct. Cor Jesu. Coloniae 1769.

* Fleury. Hist. Eccl. continuat. *Vide indic. nom. verbo Fleury.*

Gallifet S. J. De cultu Sacrosancti Cordis Dei. Romae. Salvioni 1726. *Vide sup. p. 418 et alibi passim.*

Gaudier S. J. *Vide supra p. 180.*

Gener S. J. Oratio, Dramma et Carmina, cum Philippus V. Magnanimus dici voluisset Instituti sui sub Auspiciis Sodalitii (Sacri Cordis Jesu) primus sodalis. Manresae. *Apud de Backer:* Bibliothèque, tom. 1, p. 2077, edit. 2.

Gerdil, Card. Animadversiones in Notas Xav. Feller. Edit. Florent. an. 1849, tom. 6, pp. 187 seqq. *Vide supra pp. 278, 295.*

Ginther. Speculum amoris et doloris in sacratissimo ac divinissimo Corde Jesu Incarnati, Eucharistici ac Crucifixi, orbi christiano propositum. Augustae Vindelicorum. Lotter. 1771.

* Giorgi. *V. Amerista.*

Guevara S. J. Dissertatio Antiblasiana, seu Blasius Admonitor in Blasium Commonitorem. Venetiis. Bettinelli. 1775.

Digitized by Google

Haeftenus. Schola cordis. *Vide supra p. 353.*

Herberstein, Leopold. S. J. Panegyricus Cordis Jesu Viennae dictus an. 1735. Typ. Voigtin.

Irowski S. J. Cultus Sanctissimi Cordis Jesu, in gratiam pietatis studiosorum typis datus. Pragae. Hagen. 1777.

Ienamy Guil. S. J. Cor Jesu consideratum. Graecii. 1780.

Lanspergius. *Vide supra pp. 354, 373, 857.* ***Extant*** Pharetrae *in edit. Coloniensi an. 1555 tom. 2. inter op. min.* n. 19.

Lenkiewicz Gabr. Praep. Gen. Soc. J. Literae encyclicae. *Vide supra pp. 196—197.*

Leon Mich. S. J. Collectanea de devotione SS. Cordis Jesu. *Apud de Backer:* Bibliothèque *tom. 2, p. 710,* edit. 2.

Luzvic Steph. S. J. Cor Deo devotum, Jesu pacifici Salomonis Thronus regius; e Gallico P. Steph. Luzvic, cui adjunctae ex P. Binet imaginum expositiunculae. Latinitati dedit et ad calcem auxit P. Carolus Musart ejusdem cum prioribus Societatis Jesu. Antverpiae. Aerts. 1628.

Magnani S. J. De cultu SS. Cordis Jesu apud Patres Societatis Jesu in Alba Russia an. 1784. *Vide supra p. 192.*

SS. Cordis Jesu sodalium Manuale. Gestel St. Michaelis. 1865.

Marquez S. J. Defensio SS. Cordis. *Vide supra p. 216.*

Mendoça. Literae pastorales. *Vide supra p. 245.*

Müller. De devotione erga Sacratissimum Cor Jesu: in *Theolog. Moral.* edit. 2, tom. 2, pp. 142 seqq. Viennae. Mayer et soc. 1873.

Musart *vide* Luzvic.

Digitized by Google

Mussipontan. Colleg. Soc. Jesu saeculo superiore de Corde Jesu libellum plane aureum edidit, qui in omnes fere linguas translatus est. *Vide supra p. 420.*

* Natalis Alexand. Ord. Praedic. Supplement. Hist. Eccles. II. Part. Dissert. 8, §. 5. (tom. 2, pp. 290—293).

Nilles Nic. S. J. De rationibus festi SS. Cordis Jesu e fontibus juris canonici erutis Commentarius. Oeniponte. Fel. Rauch. 1867.

— — De rationibus festorum SS. Cordis Jesu et puriss. Cordis Mariae e fontibus juris canonici erutis. Accedunt selecta pietatis exercitia erga utrumque SS. Cor. Editio altera auctior et emendatior. Apud eund. editor. an. 1869. — Editio tertia utraque priore auctior et emendatior. Oeniponte. Libraria Wagneriana. 1873.

— — Varia pietatis exercitia erga SS. Cor Jesu et puriss. Cor Mariae. Oeniponte. Fel. Rauch. 1869.

— — Cor Jesu Divini Redemptoris Nostri caritatis symbolum selectis quibusdam annotationibus illustratum, quum Germania catholica Summo Pontifici PIO PP. IX. supplicavit, ut in memoriam anni XXV. Pontificatus sui expleti festum Sacratissimi Cordis Jesu ad ritum dupl. I. classis pro universa Ecclesia elevaret. Anno MDCCCLXXI—*XVI. Kal. Jul.* Atrebati. Planque et Fréchon. — Editio altera: Ambiani. Rousseau-Leroy. — Editio tertia: Oeniponte. Felician. Rauch.

— — Officium parvum SS. Cordis Jesu. Oeniponte. Fel. Rauch.

— — Novem officia amoris erga SS. Cor Jesu. Oeniponte. Formis Wagnerianis.

— — Preces sodalitiae in honorem SS. Cordis Jesu. *Ibidem.*

Digitized by Google

Nilles Nic. S. J. Exercitium Viae Crucis et de nexu inter cultum SS. Cordis Jesu et pietatem erga ejus passionem. *Ibidem.*

— — A. R. P. Roothaan: de cultu SS. Cordis Jesu. Oeniponte. Fel. Rauch.

— — Constitutiones synodales de Dioecesibus eidem SS. Cordi consecrandis. *Ibid.*

Officium parv. SS. C. J. Bononiae. Uff. del Messaggere.

* Pannilini Jos. Epistola past. *Vide supra p. 214.*

Paullini Joan. S. J. Pia cum Jesu vulnerato colloquia bono publico vulgata. — Colloq. XXI. *de amabili Corde Jesu vulnerati.* Monachii. Schellin. 1668. *Vide supra p. 821.*

Perrone S. J. Praelection. theologic. de incarnatione, p. II, c. 4.

Petrucci. Vic. Gen. Soc. J. Literae encyclicae. *Vide supra pp. 195, 198.*

Positio Concessionis. *Vide supra p. 4.*

Pubrana S. J. De cultu SS. Cordis Jesu commentarius. Venetiis. 1775. (*Backer*, Bibliothèque, tom. 2, p. 2180, edit. 2.)

Privilegia quoad missam, officium diemque festum Congregationi SS. Cordis concessa. Romae. Parego-Salvioni. 1865. *Referuntur supra pp. 460 seqq.*

Relatio compendiosa de origine et scopo pietatis erga SS. Cor Jesu . . . in usum Serenissimi Caroli Philippi, Electoris Palatini [1]). Mannheim. 1730 et 1736.

---

1) *Carolus Philippus*, Philippi Guilielmi Electoris Palatini filius, Neoburgi natus a. 1661, die 4. Novemb. quatuor Episcoporum S. R. I. principum et Augustissimae Imperatricis frater, clericali prius charactere insignitus inter canonicos Ecclesiarum Metropolitarum Coloniensis et

Digitized by Google

Ricci Laurent. Praep. Gen. Soc. Jesu. Literae encyclicae. *Vide supra pp. 185 seqq.*[1])

Roothaan Joan., Praepos. Gen Soc. Jesu. Materiam cultus SS. Cordis Jesu solide et erudite pertractavit. Prae caeteris ejus actis memoratu digna est epistola encyclica, quam, invitante, ut ipse ait, temporum acerbitate, exul dedit Avenione in Octava Ascensionis Domini an. 1848: sacrum hoc argumentum tam pie quam scite et ad tempora accommodate illustrando, ut adeo

---

Salisburgensis adlectus, sed statu clericali paulo post (a. 1688) relicto, strenuus in pace et bello vir, ab Imperatore magnis negotiis adhibitus est. Hujus nomine Comitatum Tirolensem prudenter justeque rexit ab an. 1706. Ex gubernatore Tirolis Rheni Comes Elector Palatinus (ultimus e domo Neoburgica) factus an. 1716, principem se exhibuit rara pietate multisque aliis singularibus animi dotibus ac virtutibus conspicuum. Cultum SS. Cordis Jesu in Electoratu suo omni studio propagavit, ac *compendiosa* haec *relatio* ut ad devotionem diffundendam plurimum contulit, sic pietatis eximiae magni hujus viri perenne est monumentum. E vita cessit Manheimii die 31. Decemb. 1742. Cfr. *Fleury*: Continuat. hist. eccles. l. 234, §. 65.

1) Cultum SS. Cordis Jesu praeterea omni ope promovit pluribus impetratis Decretis, ut ecce:

1. Decreto S. R. C. d. d. 10. Jul 1765, quo Officium et Missa propr. SS. Cordis Societati Jesu conceditur;

2. Decreto S. Congreg. Indulgent. d. d. 2. Junii 1767, quo indulgentia plenaria membris Soc. Jesu concessa pro festo SS. Cordis Jesu sub consuetis conditionibus extenditur ad omnes utriusque sexus Christi fideles eo die aliquam Ecclesiam Societatis Jesu devote visitantibus etc.

3. Decreto ex audientia Sanctissimi d. d. 16. Augusti an. 1768, quo omnibus Christi fidelibus imaginem SS. Cordis Jesu in ecclesia vel capella vel oratorio devote visitantibus inter alias ad septennium conceduntur a) indulgentia plenaria singulis feriis VI. — sub consuetis conditionibus; et b) indulgentia 100 dierum quotidie lucranda visitando imaginem SS. Cordis Jesu, ut supra.

Digitized by Google

in ea legenda et delectationis et utilitatis et aedificationis uberrimum fructum capiant Sanctissimi Cordis amatores.

Schauenburg S. J. Amabilissimum Cor Jesu Dei-Hominis ad amandum et redamandum propositum a quodam Sacerdote Soc. Jesu. Monachii. 1756. Thuile.

— — Manuale Devotionis erga amabilissimum Cor Jesu piis hominum cordibus oblatum. Augustae Vindelicorum. 1769. Dorner.

Schwarzl. Acta Congregationis Florentinae. *Vide supra p. 226.*

Sertori S. J. Literae ad Patres S. J. *Vide supra p. 196.*

Solicii S. J. Laurea theol. *Vide verbo* Boza.

Sonnenberg Bernard. S. J. Concio de SS. Corde Jesu. Saeculo elapso quater variis in lociis (v. g. Monachii) prodiit.

Tetamus Ben. S. J. De vero cultu et festo Sanctissimi Cordis Jesu. *Vide supra pp. 215.*

— — Ad Apologeticum de vero cultu et festo SS. Cordis Jesu appendix. Refutatio Antirrhetici Christotimi Ameristae. Venetiis 1773.

— — SS. Cordis Jesu laurea theologica; s. a.

— — Ferdinand. (Frater Benedicti) S. J. Diarium liturgico-theologico-morale. Venetiis. Savione 1784. *Vide supra 250, 255, 264, 433.*

Thamm S. J. De internis Domini Nostri Jesu Christi doloribus mysteria. Vratislaviae. 1784.

Vanucci Pet. Eppus Massae et Populonii. *Vide supra pp. 218 et 222.*

Digitized by Google

de Wael a Vronesteyn Guil. S. J. Corona Sacratissimorum Jesu Christi vulnerum 35 considerationibus illustrata. Antverpiae. Cnobbar. 1649.

CAPUT II.

LIBRI GERMANICI.

Alacoque *vide* Art und Weise; Kurzer Begriff.

Andacht zu dem allerheiligsten Hertzen Jesu, sammt einer neuen Verbindnuss und Bruderschafft, die Ehre Gottes zu befördern, um dadurch die dem Göttlichen Hertzen zugefügte Unbilden zu ersetzen, wie auch die bevorstehende Uebel abzuwenden, und erspriessliche Gnaden von Gott zu erlangen . . . von einem Liebhaber des Hertzens Jesu, und des Heyls deren Seelen begierigen Priester S. J. Grätz. Widmannstätterisch. Erben. 1734.

Andachtsübungen zu dem Allerheiligsten Hertzen Jesu und Mariä, aus verschiedenen Bett-Büchern Herausgezogen. Mit Genehmhaltung der Oberen. Im Verlage der Jungfräulichen Versammlung zu Landsperg. Mindelheim. Steiner. 1764.

Neue vom Himmel gesandte Andacht zu dem göttlichen Herzen Jesu. Aus den bisher in Druck gegebenen Werklein. Von einem Priester der Gesellschaft Jesu. Innsbruck. Wagner. 1770.

Andachtsübungen zu den allerheiligsten Herzen Jesu und Mariä. Augsburg. Rieger. 1813.

Andachtsübungen zu Ehren des allerheiligsten Herzens Jesu. Strassburg. Leroux. 1821.

Digitized by Google

Andacht zum göttlichen Herzen unsers Heilandes Jesus Christus und zum hl. Herzen der seligsten Jungfrau Maria für ihre gläubigen Verehrer. Leitmeritz. 1839.

Andachten zum allerheil. Herzen Jesu etc. Augsb. Schmid.

Andachtsübungen und Gebete für fromme Verehrer des göttlichen Herzens Jesu. Innsbruck. Rauch.

Andachtsbüchlein zur Verehrung der sel. Margaretha Maria Alacoque und zur Verherrlichung des heil. Herzens Jesu. Wien. Mayer & Co.

Argenti J. S. J. Andacht zum heiligsten Herzen Jesu Christi. Augsburg. 1772.

Angelus Maria v. Udine. Cap. Neuntägige Andacht zum heil. Herzen Jesu. Nach dem Ital. Mainz. Kirchheim.

Anleitung, die 6 Sonntage zum heil. Herzen Jesu nützlich zu halten. Innsbruck. Rauch.

Arnold S. J. Die Nachahmung des heil. Herzens Jesu in vier Büchern. Mit Guth. des Verf. nach der 2. Aufl. des latein. Originals übers. von St. Dosenbach S. J. Paderborn. Junfermann.

Art und Weise das h. Herz Jesu zu verehren, nach Anleitung der sel. M. M. Alacoque. Linz. 1856.

Aufnahme-Formularien für den Apostolat des Gebetes bei Fel. Rauch. Innsbruck; Stein. Saarlouis u. A.

Aufnahms-Büchlein des Gebets-Apostolats sowie der Bruderschaft vom liebenswürdigsten Herzen unsers Erlösers Jesus Christus. Freiburg. Herder.

Auriemma Thom. S. J. Seelen-Wohnung in denen Wunden Jesu Christi . . . erstlich in Welscher Sprach beschrieben von dem Wol-Ehrwürdigen P. Thom. Auriemma S. J. Anjetzo ins Teutsche übersetzet von Wilhelmo

Digitized by Google

Pock, einem Priester der Regulirten Chorherren des Gottes-Haus Wilthau Prämonstratenser-Ordens. Sultzbach. Adolph. 1710.

Bayrische Bischöfe. Gemeinsames Hirtenschreiben vom 20. Juli 1864 auf der Versammlung zu Bamberg betr. d. Anordnung einer neuntägigen Andacht zum hl. Herzen Jesu.

Kurzgefasste Belehrung über das Apostolat des Gebetes in Vereinigung mit dem allerheil. Herzen Jesu. Saarlouis. Stein.

Belegsame Zeit, und Sichere Zuflucht Bey dem Gnaden-Thron Gottes. Das ist: Zweyerlei Andachten zu Ehren dess Allerheiligsten Sacrament des Altars . . . Erstlich durch acht Tag von dem Fronleichnambs-Fest; Andertens durch acht Tag von dem Fest dess Hertzen Jesu. Wien. Schwendimann. 1723.

Borgo S. J. Neuntägige Andacht zum heil. Herzen Jesu. Aus dem Ital. von Dr. M. A. Nikel. Mainz.

Boulangé Abbé. Leben der sel. Margar. Maria Alacoque. Aus dem Franz. München. Lentner.

Brean S. J. Das verwundte Hertz Christi Jesu, dess am Creutz verstorbenen Erlösers, ein Wohn-Sitz der Liebe, und offene Zuflucht dess Sünders, vor Ihre Römisch-Kayserlich- und Königlichen Catholischen Majestätten und dero sammtlichen Hof-Statt, in der Hof-Kirchen deren wohl-Ehrwürdigen PP. Augustinern Baarfüssern am Heiligen Char-Freitag, in der gewöhnlichen Predigt vorgestellt, im Jahre 1722. Wien. Heyinger.

Bruderschafft des Göttlichen Hertzens Jesu Christi, unter dem hohen Gnaden-Schutz der Durchlauchtigsten Erzherzogin von Oesterreich Elisabeth . . . aufgerichtet im

Digitized by Google

Jahr 1699. In dem Löblichen Gottes-Haus der Wohl-Ehrwürdigen Ordens-Geistlichen Sanctae Ursulae. (VII. Aufl.) Wien. Heyinger. 1739.

Das Buch der Liebe zu den allerheiligsten Herzen Jesu und Mariä. Gratz. Ferstl'sche Buchhandlung. 1836.

Burkard S. J. Predigt vom Herzen Jesu. Wien. 1735. Heyinger.

Cabalzar. O. S. B. Ohnergründtes Lieb - Gnad - und Schmertzen-Meer dess göttlichen Hertzen Jesu Jh, und auf welchem die so Schiffen, sicher in Engelland fahren. Eröffnet durch ein Heilig-aufgerichte Bruderschafft In dem Löblichen Gottshauss zu dem Hertzen Jesu In Pfullendorf, O. S. P. Francisci. So geflossen von der Feder Adm. R. P. Dominici a Cabalzar O. S. B. Capitularen des Uralten Kayserlichen Ober-Oesterreichischen Stiffts, und Gotts-hauss Mererau, der Zeit Pfarrey-Vicario zu Sigmaringendorff. St. Gallen. Hochreutiner. 1730.

— — Allgemeines Weltfeuer der menschlichen Gegenliebe durch die Betrachtung der göttlichen Liebe Jesu des Gecreutzigten in aller Menschen Hertzen anzuzünden. Augsburg und Grätz. Veith. 1730.

Chevalier. Unsere liebe Frau vom heiligsten Herzen. Aus dem Französischen. Innsbruck. Vereinsbuchhandlung.

Cominelli Leonhard S. J. Predigt zu Ehren des heiligsten Herzens Jesu (in opere *Sammlung . . . von Preti*, S. 1—52).

Constitutionen der Töchter des heiligsten Herzens Jesu. Aus dem Ital. Wien. Mechitaristen.

Croiset Joh. S. J. Die Andacht zum göttlichen Herzen unsers Herrn Jesu Christi. Aus dem Französischen

Digitized by Google

übersetzt und mit verschiedenen Andachtsübungen vermehrt von Jos. Stark (S. J.). Augsburg. Doll 1800; 1810; 1812 etc.

— — Das heiligste Herz Jesu. Ein Betrachtungs- und Gebetbuch, aus dem Französ. von einem Priester der Diöcese Augsburg. Regensburg. Manz.

Dalgairns J. B. Das heiligste Herz Jesu; nebst einer Einleitung über die Geschichte des Jansenismus. Aus dem Engl. Mainz. Kirchheim.

Denis S. J. Die neun Liebesdienste zum heiligsten Herzen Jesu. Luxemburg. Brück.

Deutsche Bischöfe. Gemeinsames Hirtenschreiben vom Februar 1874; §. final.

Devis S. J. Gebet- und Belehrungsbuch für Mitglieder der Bruderschaft vom heil. Herzen Jesu und Mariae. 8. Aufl. Münster. Coppenrath

Donin. Die unerschöpfliche Gnadenquelle der göttlichen Erbarmungen, oder: das neue Herz-Jesu-Buch. Graz. Moser.

Dosenbach S. J. Grund und Uebung der Andacht zum heil. Herzen Jesu. Paderborn. Junfermann.

— — P. de la Colombière. *Vide Pouplard.*

— — Der erste Freitag. *Vide Gautrelet.*

Eberlein Michael Leontius. Allgemeines Sonnenlicht. Zug. 1708.

Effinger P. Nachfolge des heil. Herzens Jesu. Betrachtungen über die Verehrung etc. Einsiedeln. Benziger.

Täglicher Ehrendienst zu den allerheiligsten Herzen Jesu und Mariä, mit dem heiligen Liebesverbindniss. Von einem Weltpriester des Brixner Bisthums. Augsburg und Innsbruck. Wolff. 1772.

Digitized by Google

Die Ehrenwache des göttlichen Herzens Jesu, und sechs Andachtsübungen zum heiligsten Herzen Jesu von der sel. Margaretha Maria Alacoque. Regensburg. Pustet. 1868.

Erkenntniss des heiligsten Herzens Jesu. Aus dem Französ. Wien. Mayer & Co.

Eschenbrender S. J. Vom Herzen Jesu, aus verschiedenen Büchern, welche davon handeln, fleissig gesammelt. *Vid. de Backer*, Bibliothèque, tom. 1, p. 1738, edit. 2.

— — Gebete und Tugendübungen des Gebets- u. Sühnungs-Vereines zur Verehrung des göttlichen Herzens Jesu auf alle Tage des Monats. Köln. Romerskirchen.

Fast Patrit. Katholischer Unterricht. *Vide sup. p. 231.*

Feurige Liebs-Pfeil, oder Hertzliche Anmuthungen zu dem Göttlichen Hertzen Jesu, neben einer kurtzen Novena, oder neuntägigen Andacht auff die neun Buchstaben des HERTZ JESU eingerichtet. München. Straub. 1715.

Von der ewigen Weisheit Gottes Neu-erfundenes, in dem Hertz Jesu Christi angezündetes und in die Eysskalte und finstere Welt geworffenes *Feuerwerk* . . . oder das Göttliche Hertz Jesu . . . lebendig vorgestellt einer andächtigen Bruderschafft, unter dem Titul der ewigen Anbettung dess liebreichisten Hertzens Jesu. . . bei den Frauen Fr. Ursulineren in Lucern. Lucern. Hautten. 1702.

Foret Renat Wilh. S. J. Predigt zu Ehren des heiligsten Herzens Jesu (in opere *Sammlung . . . v. Preti*, S. 53—97).

Franco S. J. Vollständiges Gebet- und Betrachtungsbuch für Verehrer des heiligen Herzens Jesu. Nach

Digitized by Google

dem Ital. frei bearbeitet von Fugger-Glött. Mainz. Kirchheim.

— — Gebet- und Erbauungsbuch übersetzt von Pircher. Innsbruck. Vereinsbuchhandlung.

Fusconi Lorenz. Minorit. Conventual. Predigt zu Ehren des heiligsten Herzens Jesu (in *Sammlung . . . Preti*, S. 98—125).

Gallifet S. J. Von der Verehrung des Allerheiligsten Hertz unsers Herrn Jesu Christi . . . Augsburg. Bissoni. 1728.

— — Leben der gottseligen Mutter Margaretha Maria Alacoque, von ihr selbst aufgezeichnet. Aus dem Franz. von J. Silbert. Regensburg. Manz.

(P. Gaudentius.) Gebet der Fürbitte in Vereinigung mit dem göttlichen Herzen. Von einem Franziskanerordens-Priester. Innsbruck. Fel. Rauch.

— — Apostolat des Gebetes; nebst einem Gebetbuch zu Ehren des heil. Herzens Jesu. Innsbruck. Rauch.

Gautrelet S. J. Der Monat des allerhl. Herzens Jesu in 33 Betrachtungen. Nach dem Französischen von Wagner. Amberg. Habbel.

— — Der erste Freitag in jedem Monate, deutsch von Dosenbach, S. J. Münster. Aschendorf.

Goldhagen S. J. Anweisung zu der hochwichtigen Andacht zum heiligen Herzen Jesu Christi. St. Gallen 1767. Bamberg 1768. Mainz 1769, 1774. *Vide sup. p. 228.*

— — Andacht zum heil. Herzen Jesu. Soest. Nasse.

* Gregoire. Geschichte der religiösen Secten, übersetzt von Tzschirner. S. Archiv für alte u. neue Kirchengeschichte von Ständlin u. Tzschirner, I, 2, pp. 177 ff. *V. s. p. 240.*

Digitized by Google

Guenzi Johann Franz. Lobrede auf das heiligste Herz Jesu (in *Sammlung . . . Preti*, S. 126—154).

Hahn J. Tagzeiten vom Heiligsten Herzen Jesu. Augsburg. 1779.

* Hallerbrut. Herz-Jesu-Andacht, nach theologischen und historischen Gründen geprüft. 1771.

Harder S. J. Volkslied zum Herzen Jesu. Neisse. 1862.

Hattler S. J. Die neun Liebesdienste zur Verehrung des göttlichen Herzens Jesu in Betrachtungen dargestellt. Mit den Legenden der neun Patrone. Wien. Sartori.

— — Der Garten des Herzens Jesu. Mit zwölf Standbildern. Wien. Sartori.

— — Die zwölf Gebetsapostel des Herzens Jesu, oder: die älteste Gestalt des Gebets-Apostolats. Innsbruck. Rauch.

— — Heiliges Stillleben im Herzen Jesu für alle Tage der Woche nach der Anweisung der sel. Marg. Alacoque. Wien. Sartori.

— — Schauenburg S. J. Das liebenswürdigste Herz Jesu. Unterrichts- und Gebetbuch. Neu bearbeitet von Fr. Ser. Hattler S. J. Soest. Nasse.

— — Das Bild der Liebe oder die Geheimnisse des Herzens Jesu in zwölf Kupferstichen dargestellt von Klauber. Durch Lichtdruck vervielfältigt. Mit erklärendem Text von Fr. H. Wien. Heindl.

— — Geschichte des Festes und der Andacht zum Herzen Jesu und die Denkschrift der polnischen Bischöfe vom Jahre 1765. Festgabe zur zweiten Säcularfeier des Herz-Jesu-Festes. Wien. Sartori.

Das Gnadenreiche Hertz Jesu. Würzburg. 1710.

Das göttliche Hertz Jesu, die Freude und Wonne der Hei-

Digitized by Google

ligen, der Gegenstand höchster Verehrung. Mit zwölf schönen Kupfern und vielen Abbildungen vieler Heiligen. Klauber. Augsburg o. J. (circa 1750).

Das Allerheiligste Hertz Jesu, Ein Tugendspiegel, in welchem eine Geistliche, Gott geheiligte Seel entweders ihre eigene Tugenden ersehen, oder aber vollkommen ausszihren mag. Lucern. Hautt. 1752.

Das Herz Jesu im Altarssakrament. Augsburg. 1769.

Das heiligste Herz Jesu in dem höchsten Altarsgeheimniss zur kurzen Betrachtung auf alle Wochen des Jahres vorgestellet von einem Priester aus dem Orden der Diener U. L. F. tyrolischer Provinz. Augsburg. Wagner. 1769.

Herzensverehrung (hl.) im hl. Altarssacrament. Augsburg. 1823.

Herz-Jesu-Büchlein. Colmar in Elsass. Hoffmann.

— — Breslau. Görlich.

Verehrung des göttlichen Herzens Jesu in dem heiligsten Altarssakramente. Ein katholisches Gebethbuch. Füssen, Winterhalter. 1835.

Das Allerheiligste Herz Jesu, die Quelle der Liebe, der Schatz aller Gnaden, der Spiegel jeder Tugend, unser Trost im Leben und Sterben. Leitmeritz. 1859.

Herz-Jesu-Büchlein zur 200jährigen Jubiläumsfeier. Salzburg. Zaunrith.

Herz-Jesu-Büchlein. Andachtsübungen zum heil. Herzen Jesu und zum kostbaren Blute. Breslau. Görlich.

Herz-Jesu-Büchlein, enthaltend die gewöhnlichen Gebete ... einen vollständigen Herz-Jesu-Monat. Dülmen. Laumann.

Herz-Jesu-Kind. Neuburg a. D. Auer.

Digitized by Google

Herz-Jesu-Monat, neuer, von einem Mitgliede der Gesellschaft Jesu. Nach der 13. Aufl. des Franz. bearbeitet. Paderborn. Junfermann.

Hilf G. M. Die Nachfolge des allerheil. Herzens Jesu in 33 Betrachtungen u. s. w. Nach dem Franz. Mainz. Kirchheim.

Allerheiligsten Herzens Jesu sichere Himmels-Strasse, allen Christen zur Nachfolg und Betrachtung, nach dem Beyspiel des heiligsten Herzens Maria in einer achttägigen süssen Uebung des Geistes vorgestellt. Mit ascetischen, historischen Lesungen und Standeserforschungen in 2 Theile eingerichtet — von einem Priester der Gesellschaft Jesu, dass Alles sowohl auf die acht Täg nach dem heil. Fronleichnams-Fest zu Betrachtungen und Lesungen, als unter dem Jahr auch zu Kanzelreden kann gebraucht werden. Augsburg. Mauracher. 1767.

Hinderer S. J. Missionsbriefe. *Vid. sup. p. 423.*

H(irn). Der ewige Bund Tirols mit dem heil. Herzen Jesu. Brixen. Weger.

Hohmann Franz. Herz-Jesu-Andachten, Lieder und Litaneien nebst Gebetsapostolat und Herz-Mariä-Andacht. Kempten. Kösel'sche Buchhandlung.

Honcamp Math. Can. cap. ad Gradus B. M. V. Die Andacht zum Hertzen Jesu. Wien. 1710.

Hubi Vincenz. S. J. Uebung der Liebe Gottes und unsers Herrn Jesu Christi. Aus dem Französischen übersetzt von *Jos. Stark* (S. J.) Priester in dem Collegio bey St. Salvator in Augsburg. Augsburg. Doll. 1794.

Hugues. *Vide* St. Omer.

Digitized by Google

Huguet. Die Andacht zum allerheil. Herzen Jesu in Beispielen. Aus dem Französ. Regensburg. Manz.

— — Herz-Jesu-Monat. Schaffhausen. Hurter. 1861.

Iworski S. J. Verehrung des allerh. Herzens Jesu durch neun Tage zur Aufmunterung andächtiger Verehrer. Prag. 1780.

Jacobs S. J. Betrachtungen über das hl. Herz Jesu. Gratz. 1832.

— — Weg zum Himmel und der Verehrung der hh. Herzen Jesu und Mariä. Innsbruck. 1842.

Janssen. Freitagsbüchlein, oder kurze Andacht zum liebenswürdigsten Herzen unsers Erlösers zur Feier d. 1. Freitags im Monate. Paderborn. Bonifacius-Druckerei.

Jenamy S. J. Das betrachtete Herz Jesu. Gratz. 1780.

Jungmann S. J. 5 Sätze zur Erklärung der Andacht zum heil. Herzen Jesu. Innsbruck. Wagner.

— — Eine neue Litanei vom h. H. J. *Ibid.*

Kinder-Lehr von dem Göttlichen Liebreichen Hertzen Jesu. Mit Erlaubniss der Oberen. Augspurg. Labhart. 1709.

Klauber. Das Bild der Liebe. *Vide Hattler.*

Kleutgen S. J. Die Andacht zum Herzen Jesu. Münster. Theissing.

Krebs C. SS. R. Andachtsbuch zur Verehrung des hh. Herzens Jesu. Saarlouis.

— — Die hh. Herzen Jesu u. Mariä. Freiburg. Herder.

Kurtzer Begriff des gottseligen Lebens der frommen Kloster-Frauen M. M. Alacoque von der Heimsuchung der Jungfrau Maria. Augsburg. 1704.

Kurtzer Bericht von der Bruderschafft des Göttlichen Hertzens Jesu, sambt Beygefügter Litaney und anderen kleinen

Digitized by Google

Andachts-Uebungen für die Einverleibte dieser Liebreichen Bruderschafft nutzlich zu gebrauchen. Augspurg. Labhart. 1744.

Kurzer Unterricht sich nach dem göttlichen Herzen des sterbenden Heilands auf ein glückseliges Ende zu bereiten. Von einem Priester aus dem Orden der Diener U. L. F. aus der Tyrolischen Provinz. Augsburg. Wagner. 1768.

Lambruschini, Kard. Abhandlung über den Ursprung und das Wesen der Andacht zum heiligsten Herzen Jesu. (Kleine geistl. Schriften, II. Thl.). Aus dem Italiänischen übersetzt von Stumpf. Augsburg. Kollmann. 1839.

Languet. Leben der gottsel. Mutter Margaretha Maria Alacoque. 2 Bde. 2. Aufl. Aus dem Französ. übers. von J. P. Silbert. Regensburg. Manz.

Lennartz. Herz Jesu, du Wonne aller Auserwählten. Ein Gebet- und Andachtsbuch zum heiligen Herzen Jesu. Aachen. Hensen.

— — Erklärungen etc. *S. Pierik.*

Leitner Jacob. Das Apostolatsbuch. Passau. Bucher.

Leitner Fr. Ein Wort über den Gegenstand der Andacht zum heiligen Herzen Jesu. Freiburg. Herder. *Vide supra p. 248.*

